 Panormita

ANTONII PANORMITAE

HERMAPHRODITUS.

PRIMUS IN GERMANIA EDIDIT

ET APOPHORETA ADJECIT

FRIDER. CAROL. FORBERGIUS.

COBURGI

SUMTIBUS MEUSELIORUM.

1824.

LECTORI

ingenuo et simplici

S. P. D.

Fridericus Carolus Forbergius.

Hermaphroditum, celebratissimum illud Antonii Panormitae opusculum, tertio circiter lustro saeculi quintidecimi compositum, post quatuor paene saeculorum decursum ex codicibus manu exaratis luci primus totum dedit Bartholomaeus Mercerius de Sancto Ligario, quanquam suppresso editoris no-

mine, anno XCI saeculi superioris.[a] Ex hoc libro Merceriano, paucis[b] exemplis jam pridem distractis, operae pretium facere mihi videbar, si Hermaphroditum denuo edendum curarem. Neque vero potui a me impetrare, ut Parisiense exemplar operis tantummodo recoquendum traderem, in quo alia essent, quae nollem, alia non essent, quae vellem.

En haec illa sunt, quae in nova editione praestare mihi sumsi. *Primum* numeros epigrammatum adjunxi,

---

a. Liber formae octonariae sic inscriptus est: *Quinque illustrium poëtarum, Ant. Panormitae, Ramusii Ariminensis, Pacifici Maximi Asculani, Jo. Joviani Pontani, Jo. Secundi Hagiensis, Lusus in Venerem, partim ex codicibus manu scriptis nunc primum editi. Parisiis prostat ad pistrinum in vico suavi* (chez Molini rue Mignon) *MDCCXCI.*

b. Non plus quingenta excusa esse refert Ebertus in Lexico bibliographico sub numero 12524.

ne facilitas deesset citandi. *Deinde* vitia innumera in verbis sententiisque interpungendis a Mercerio admissa sedulo correxi. *Tum* varietatem lectionis ex codice manu scripto Coburgensi,[c] Opusculis Panormitae Ve-

c. Codicem hunc inveni in bibliotheca serenissimi ducis Saxo-Coburgensis, fidei meae commissa, neglectum et pulvere obrutum. Est ille membranaceus, saeculo quintodecimo quaternaria forma nitide scriptus, septemdecim foliorum, postremis tribus vacuis. Exhibet posteriorem Hermaphroditi libellum totum, prioris versum ultimum, reliqua parte nescio cujus facinore avulsa. Sed alia multa charta scripta eodem volumine compacta sunt: I. foliis 18—33. Priapeja: conferas Bibliothecam criticam Sebodianam 1820, 841—44. 1039—42. II. fol. 34. 35. Aeschinis, Demadis, Demosthenis, Plutarchi fragmenta quaedam Latine reddita. III. fol. 36—42. oratio Heliogabali ad meretrices, praefixo lemmate: *oratio Eliogabali per D. Leonardum Aretinum ex Graeco in Latinum translata incipit.* Initium hoc est: *incredibilis me libido habet, commilitones, et vehementes in me ardore* (ardores) *concitari sentio, cum multitudine vestra circumseptum, me undique stipatum*

netiis anno LIII saeculi sextidecimi

---

conspicio, quippe qui aut unam aut alteram vestrum intuens incalere soleam, quas nunc, cum tot libidine flagrantes ac me in complexum provocantes oculos, tot procaces vultus, tot nuda pectora, ac se ultro exhibentes papillas cerno, cupiditatis flammas in me ardere existimat (existimatis)? *Sed continebo ipse me parumper et contra meam consuetudinem frenum cupiditati meae, dum vobis pauca loquor, imponam. Erit autem oratio mea vobis non ingrata, nec aliena a disciplina vestra, atque ante omnia nulli admiratio esse debet, si vos nomine commilitones appello: nam militat profecto omnis amans.* Finis est: *alacriter operi vestro incumbite, nec exspectate ut petamini, sed ultro offerte, ac postposito omnino fatuo ac degeneri pudore per vicos, per plateas, per fora, per campos, per theatra, per ipsa denique immortalium deorum templa discurrite, capite, rapite, seducite omni tempore omne genus hominum omnisque aetatis, sed praecipue adolescentes. Quantum ad augustalem munificentiam attinet, ut in sanguinolenta Martis militia coronae murales, vallares, civicae rostrataeque fortibus viris propositae sunt, sic, ut quaeque vestrum egregia lasciviae opera ediderit in hac Cupidinis militia, dona magna reportabit. Dixi.* Conferre juvabit Lampridium cap. 26. Heliogabali: *omnes de circo, de theatro,*

Bartholomaei Caesani sumtibus excu-

---

de stadio et omnibus locis et balneis meretrices collegit in aedes publicas, et apud eas concionem habuit quasi militarem, dicens eas commilitones, disputavitque de generibus schematum et voluptatum. IV. fol. 42—48. libellus Magistri Wiglielmi de Brissia de memoria et reminiscentia. V. fol. 57—116. (praetermissa folia vacua sunt) chronicon imperatorum et pontificum Romanorum ad annum 1447 deductum. VI. fol. 117. calendarium Romanum. VII. fol. 127. exordium chronici imperfectum. VIII. fol. 128. epistolae duae Virgilii, altera manca, ad Augustum Caesarem scripta, jam edita a Masvicio p. 1308. Heynio IV, 194. Bipontinis II, 47. altera integra ad Maecenatem, quam ex ipso codice nostro primus in lucem vocavi in Bibliotheca critica Sebodiana 1820, 67. Vide num talia digna sint Virgiliani sermonis elegantia et dulcedine, ac non potius imitatoris parum felicis exercitationem redoleant: *Virgilius Mecenati salutem dicit. Ruffum Pompejum libertum tuum novelle vidi. Heri enim ad me venit hora intempesta, librum poposcit, instat, jubet, volt. Neminem vidi quaestorem indecentius. Ne poscas rego. Medius fidius ipsum remitto, quam primum lectum cultumque, fortassis inopinum. Varum nostrum valentem scito: saepe ad nos venit, loquitur nobiscum, pransitat, nonnunquam lectitat. Vir comis est. Varo sine me*

sis, [d] Carminum illustrium poëtarum .

Cayete moram duxit. Tu velim Flaccum turbes, Homerum reddat: sat tenuit. Philelphum reconciliet: suus est. Vale. IX. fol. 128—130. duodecim epitaphia in laudem Ciceronis a totidem poëtis composita, quae in Epigrammata et Poëmatia vetera retulit Petrus Pithoeus p. 74. 75. ita tamen, ut aliter in auctores suos distribueret. Additur in codice nostro epitaphium Ovidii ex Tristium III, 3, 73—76. X. fol. 135—138. grammatica quaedam. XI. fol. 139. 140. carmina Sibyllina Latina. XII. fol. 140. 141. infortunati docti et duces. XIII. fol. 142. laudationes poëticae Ludovici Casellae, (*qui fuit imperii, Borse, columna tui,*) scripta, opinor, a Ludovico Carbone. XIV. fol. 143—156. recensus operum Ovidii, Augustini, Gregorii Magni, Hieronymi, Origenis, Hilarii Pictaviensis, Gregorii Nazianzeni, Bedae. XV. fol. 156—159. adnotata quaedam historica et grammatica. XVI. fol. 163—175. oratio ad Fridericum III. imperatorem Romanum coram Borsio duce Ferrariensi anno 1469 Ferrariae habita a Ludovico Carbone, cujus finis hic est: *laureaque poëtica* (peto) *meum caput ornari, ad quam tantis laboribus semper adspiravimus. Quatuordecim jam annos frequentissime* (frequentissimo) *auditorio meo publice juventutem erudivi, ducentas prope orationes edidimus, versus ad decem millia et omnia ore nostro pronuntiavimus, om-*

Italorum Florentiae anno XIX saecu-

---

nes claros viros, qui in patria mea obierunt, funebri oratione decoravi, omnes fere paulo illustriores matronae me orante nupserunt. Quodsi merita mea non satis esse videantur, me saltem tanquam Borsii praedicatorem non repudiabis. XVII. fol. 179—238. varia et poëtica et prosaica ejusdem Lud. Carbonis, de quo Borsettus in Historia almi Ferrariae gymnasii II, 33. *Ludovicus Carboni,* inquit, *Ferrariensis. Cum is inter oratores ac poëtas facundissimus et eruditissimus esset ac haberetur, nec non Latinas Graecasque literas egregie calleret, Pauli Costabili et Sapientum decreto ad oratoriae ac poëticae cathedram assumtus est anno* 1456. *In ea autem doctoris optimi partes cumulatissime implevit usque ad annum* 1465, *quo temporis gymnasii nostri reformatoribus benigne annuentibus se Bononiam ad legendum contulit, magnis illuc stipendiis invitatus. Ad nos deinde reversus obiit. Scripsit librum de elocutione oratoria, orationes in funere Borsii Ferrariae ducis, ac aliorum insignium virorum, Latina carmina, et alia. Laudatur a Lilio Gregorio Giraldi in Dialogo secundo poëtarum suorum temporum, et ab aliis. Versionem adornavit etiam orationis cardinalis Bessarione ad Italiae principes, ut bellum adversus Turcas susciperent, quae versio fuit ab eo Borsio Estensi dicata.* XVIII. fol. 241. 42. dignitates quibus antiqui utebantur. XIX. fol. 243.

li XVIII octonis editorum tomo se-

---

44. oratio (Lud. Carbonis) ad pontificem Romanum. XX. fol. 245—250. liber de doctrina virtutum et vitiorum fuga. XXI. fol. 251—262. Lud. Carbonis oratio habita in funere magnifici Bertholdi Estensis Venetorum imperatoris adversus Turchos in bello Peloponensiaco, ubi dimicans interiit (anno 1463.) XXII. fol. 264—273. praecepta de re metrica.

d. Epigraphe libri haec est: *Antonii Bononiae Beccatelli cognomento Panhormitae epistolarum libri V. Ejusdem orationes II. Carmina praeterea quaedam, quae ex multis ab eo scriptis adhuc colligi potuere. Cum privilegio. Venetiis MDLIII.* Forma quaternaria. Folia 135, praeter titulum, vitam Antonii ex Elogiis Pauli Jovii desumtam, et indicem epistolarum. Carminibus editor Venetus ita praefatus est: *carmina, quae sequuntur, sunt ab Antonio Panhormita jam olim dum adolesceret scripta. Utinam ea, quae provectiore aetate et maturiore stylo edidit, habere potuissemus, quod aliquando futurum non desperamus. His tamen illius ingenii et musae speciminibus facile agnosci potest, et eum non immerito a Joviano Pontano et a Tito Strozio et ab aliis nobilibus poëtis saepe laudatum.* Hoc libro parum obvio, quem quidem singulari humanitate Joannis Godofredi Eichhornii, magni illius et Georgiae Augustae

cundo,[e] Angeli Mariae Bandini Catalogo codicum Latinorum bibliothecae Mediceae-Laurentianae[f] aliisque

---

et universae Germaniae decoris atque ornamenti, ex bibliotheca Gottingensi liberaliter mihi concessum fuisse gratissimo animo profiteor, carmina continentur XIII prioris libri Hermaphroditi (nostra 1. 10. 11. 21. 22. 23. 24. 27. 30. 31. 32. 37. 41.) XIX posterioris (nostra 1. 5. 12. 14. 15. 16. 21. 22. 23. 25. 26. 27. 28. 31. 32. 33. 34. 35. 36.) ita tamen, ut aliam repraesentari recensionem a Veneto editore, aliam a Parisiensi, cuique sit in promtu. Videtur autem Veneta recensio, ut quae et castior sit, et castigatior, aut secundas curas auctoris prodere, aut terrae filii cujusdam severiorem sedulitatem, fortassis utrumque.

e. Insunt in hoc tomo epigrammata libri prioris 21. 22. 41. posterioris 1. 22. 33. appendicis 2. 8.

f. Operi suo Bandinus inseruit epigrammatum Hermaphroditi omnium lemmata, epigrammata duo (I, 43. II, 38.) integra, distichon prius epigrammatis 42 libri prioris, et versum primum atque ultimum carminis primi libri posterioris. Est vero, quod grata memoria recolam celeberrima nomina Jo. Aug. Reussii et Jo. Godofredi Lud. Kosegartenii: ille quidem non tantum facilem se mihi praebuit librum Florentinum ex bibliotheca Gottingensi roganti, verum etiam

scriptoribus versiculos Hermaphroditi illos vel illos obiter commemorantibus, quotquot mihi innotuerunt, diligenter adnotavi, hisque praesidiis instructus lectionem probabilem adnisus sum constituere. *Tum* loca similia veterum, quae Antonio ante oculos obversata esse viderentur, passim subjeci: nolui etiam deesse lectori in locis paulo impeditioribus. *Postremum* elaboravi in eo, ut insolentiorum libidinum rationem, pudore omni po-

---

ultro laborem haud sane exiguum suscepit, propria manu describendi ea, quae tomo secundo Bandiniani operis pag. 106 — 112. ad Hermaphroditi causam pertinerent; hic ejusdem loci Bandiniani exemplar, et ipsum propria manu descriptum, humanissime mecum communicavit. Plures alii viri doctissimi studia mea vel commodando, vel excerpendo, vel admonendo egregie adjuverunt. Ne unus quidem exstitit, quem frustra rogassem. Candidis his animis, quique gerunt studiis corda propinqua meis, si quid grati vicissim facere mihi unquam fato benigno licuerit, impense laetabor.

sito, qui nullus est in artibus et disciplinis, nullus in re seria, nullus in lingua ab usu communi remota, aperte tandem et perspicue explicarem, cum obsceniora fere ab interpretibus lexicorumque conditoribus aut plane praetermitti intellexissem, aut ita explicari, ut parum satisfieret curiositati lectoris, qui penitus pernoscere vellet, quid rei cujusque esset, aut ad sententiam detorqueri a mente auctorum alienissimam. Instituti autem ratio, ut fieri solet, mox latius serpere coepit, ut toto loco de re obscena veterum pedetentim pertractato, rerum copiam majorem in molem sensim crevisse animadverterem, quam ut arctis adnotationum finibus apte comprehenderetur. Tale igitur temperamentum sequendum putavi, ut congeriem istam prope omnem ab Hermaphrodito

sejunctam in Apophoreta, velut in secundam mensam, reservarem. Quicquid posui, id locis veterum affatim allatis studiose confirmatum ivi, ita quidem, ut testimonia illa ubique ad verbum transscriberem, cum nihil unquam sit molestius, quam ablegari identidem ad libros evolvendos, quos saepissime ne paratos quidem habeas. A confutandis aliorum interpretationibus fere abstinui. Neque enim ingenio sum valde censorio, et si quid humani forte passi sunt, aut alio intenti, aut taedio victi spurcarum rerum, viri praestantissimi, quorum ope destitutus nihil omnino vidisses, id nefas sit cum affectatione puerili ostentare, multo etiam magis cum rusticitate indigna deridere.

Quid in Venereis voluptatibus honestum factu passuve sit, quid turpe,

id longum est disputare. Sit penes lectores judicium integrum et incorruptum! modo caveant judices, ne peccent universe damnando, quae non nisi certo loco, certo tempore, certo modo, certo fine reprehensione digna videantur. Nolui in hunc campum descendere, qui crebro usu compertum habeam, judicium de honesto et turpi vel a cordatioribus vix interponi generaliter nisi ita, ut insit nescio quid nimii, inepti, perversi. Unde fit, ut, quo quisque est intelligentior, eo lenius, moderatius, clementius humana quaeque ferat, eo faciliorem se praebeat ad ignoscendum, quo magis unus ex multis, eo promtior sit ad condemnandum, eo minacior sonet grandibus verbis, eo atrocius rixetur cum saeculo.

I nunc, parve liber, fata tua expertum. Noli expavescere tertios e coelo forte lapsos Catones. Scito fore qui te publice subducto vultu damnent, clam interea posito fastu personato legant avide.

Scribebam Coburgi mense Junio anni aerae nostrae 1824.

TESTIMONIA

DE

HERMAPHRODITO.

I. AUCTORIS.

Ex epistola Antonii Panormitae ad Bartholomaeum Pontificem, fol. 38. 39. Epistolarum Panormitae cum aliis ejusdem opusculis Venetiis 1553 editarum.

Nunc ad Lamolam nostrum redeo. Is me per epistolas rogat, et quidem tuo nomine, ut Hermafroditum meum ad te propediem mittam; ait enim, incredibilem tibi sitim incessisse videndi ejus et lectitandi versus meos. Ego cum primo subsisterem, si quidem res admodum lasciva est, et adolescentis opus, dein certa ratione decrevi quicquid id esset pro tuo jussu dimittere, ut, si quid tuis moribus tua-

que aetate alienum offenderes, esset quod tibi potius imputares, qui id exegeris, quam mihi, qui ut tuae voluntati obtemperarem exhibuerim. Mitto igitur tibi meum Hermafroditum, libellum quidem lascivum, sed ea lascivia, qua summi oratores, sanctissimi poëtae, gravissimi philosophi, viri continentes et Christiani denique praelusere. Et sane castum esse decet pium poëtam ipsum, versiculos nihil necesse est, quod tu pro tua eruditione plenissime nosti. Quare hoc apud te prolixius tractare esset quod aiunt Minervam edocere. Illud autem simplicius et amicitius feceris, si, quod de eo dicturus es aliis, id ipsum egeris apud me, ut quid de me sperandum sit ex tuo magno acrique judicio deprehendam atque constituam.

Ex epistola ad Cambium, ibidem folio 48.

Hermafroditi versus est:[1] scilicet impuris Pegasis unda latet. Crede mihi, non potest poëta quisquam evadere, nisi pius et simplex animo; si quid vero in adolescentia jocati et vagati sumus, quaedam cum prima resecantur crimina barba.

---

1. Epigr. XXVII, 6. libri secundi.

Ex epistola ad Guarinum, ibidem fol. 75. 76.

Etsi acceperam Hermafroditum meum plurimorum judicio probatum laudatumque magnifice, nihilo magis tamen animo movebar, quod satis sciebam, partim exuberantia quadam amoris erga me, partim novitate quam veritate magis illorum judicia esse. Verum cum te virum simplicem, verum, apertum et qui in manibus quodammodo mentem geras, idem de me meoque libello sentientem animadvertam, non modo moveri non possum, sed, ut fatear mollitiem meam, gaudio distrahor, praesertim cum antehac nulla mecum amicitia, nulla familiaritate fueris devinctus. Neque illud puto, te scilicet in causa hac sententiam dedisse gratia novitatis ductum, quippe viro prudenti atque spectato nihil novum, nihil mirabile, nihil denique quod hominum industria atque ingenio fieri non possit videri solitum. Ex quo quidem mihi plurimum gratulor ac paene blandior, mi Guarine, atque id quidem non temere, summa mehercle laus ab laudatis atque probatis viris egregiis laudibus efferri. Bellissime quidem is alios laudat, qui semper inde a puero in laude vixit, cui nunquam humile, contemtum aut vulgare aliquod gratum extitit. O felicem meum Hermafroditum, vo-

calissimum tibi buccinatorem sortitum! O fortunatam lasciviam libelli! jam modo ab invidorum ac vulgi sagittis tuta es septemplicis et Ajacis umbone, id est Guarini auctoritate. Sed quanquam haec tua de me sententia mihi jucunda est, vereor tamen, ne modum excedat, plurisque me aestimes, quam ipse sim. Nam, per deum immortalem, si modo me velim ipse cognoscere, quod tam illustri praedicatione dignum edere potui, homo civili studio distractus atque aliis mille occupationibus fere contritus? Quam pulchre Junius Juvenalis: quis locus ingenio, nisi cum se carmine solo vexant? Quamobrem te quaeso, mi Guarine, honora mensuram, nam cum in omnibus mensura adhibenda sit, tum maxime puto, cum aliquem laudare studemus. Solon Atheniensis, unus ille ex septem sapientibus habitus, legem apud Graecos ediderat de decipientibus, qua cum his actio erat, qui alios in laudibus cuiuspiam decipiebant. Aderunt itaque, ut arbitror, qui te etiam in jus vocabunt, quandoquidem se deceptos et dicent et docebunt. Proinde tutius atque consultius facies, si ab hisce laudibus omnino destiteris. Quodsi naturae tuae benignitas et incredibilis illa charitas, quam in studiosos omnes, tum vel magis in poëtas intenderis, te ultro cogit, nec potes desistere, parcius lauda, quo nemini tenearis lege Solonis, ne-

ve illud praeceptum Delphis consecratum aureis literis negligere videaris: ne quid nimis. Joanni vero Lamolae, viro docto et emendato et vere ex Guarini ludo literario profecto discipulo, gratias et ingentes habeo, propterea quod insciente me quidem Hermafroditum ad te miserit meum, measque partes ultro sustinuerit. Nam cum illum tibi ut exhiberem accingerer, praevenit me vir diligentissimus. Postremo te magnopere oro et obsecro, ut libellum, quem inter coenandum lusimus, recognoscas, emendes et male tornatum incudi reddas. Nam si qua ex parte displicuisse intellexero, quod reliqui fuerit tibi complacuisse non dubitaverim.

In epistola ad Poggium, qua respondet Antonius ad literas Poggii mox proferendas, ibidem folio 79 et sequentibus.[1]

Epistolae tuae, quae veterem sane et antiquum illum eloquentiae Romanae morem prae ceteris mea sententia exprimunt, ad me, ut jusseras, perlatae sunt. Eas, tametsi auctorem obticuisses, abs te tamen pro singulari

1. Adjecit etiam hanc epistolam Hermaphrodito editor Parisiensis p. 47 — 53.

quadam earum elegantia profectas animadverterim. Habent enim epistolae tuae nescio quid excelsum, suave, acre, opulentum, grave, atque ea quidem insigniter, ut, qui tuas illas esse dubitarit, auctorem quoque praeter te non inveniat oportebit. Oblectarunt me itaque et affecerunt, cum ob alias causas, tum vel maxime, quod opusculum meum tibi non injucundum extitisse significas, nec non Antonii Lusci, poëtae non obscuri, judicio laudatum probatumque, qua quidem ex re mihi atque libello meo plurimum gratulari licet: mihi, quia locupletissimos hos mihi laudatores compererim, qui pro sua ipsorum singulari eloquentia queant ex fumo fulgorem exhibere, atque ipsum, si modo velint, Thersitem vel quemvis alium abjectissimae conditionis virum illustri laude perspicuum reddere; libello, quia in doctissimorum hominum manus tandem pervenerit, quos certus equidem eram minime reprehensuros lasciviam ejus, quippe cum plurimos norint viros doctos, graves, sanctos, et Graecos et nostros, talia scriptitasse, atque inter manus adhuc versari Catullum, Albium Tibullum, Propertium, Junium Juvenalem, M. Valer. Martialem, et prius P. Virgilium, P. Nasonem, poëtas egregios et Latinos, qui plerumque verba adeo nuda proferunt et dictu foeda, ut haud sciam, scenane magis an lupanari

digna videantur. Ego quidem, vir humanissime, tot summos oratores, tot summos viros memoriae proditum comperio sese hoc generis studio et oblectasse et exercuisse, ut ignorem medius fidius, qui se potius non oblectarint, quam qui se oblectarint. Nam ipsum philosophorum principem Platonem, non quidem Christianum hominem, sed qui deum non ignoraverit, immo unum deum servaverit, ceteros vero angelos vel daemones dixerit, constat versus et quidem petulantes fecisse in[2] Astera, in Alexim, in Phaedrum pueros, item et de Dione Syracusano, et generaliter versus ejus nonnisi molles et amatorios extitisse, e quibus hos tantum hoc loco commemorem, quamvis aliquanto licentius, ut ait Gellius, liberiusque ex Graeco in Latinum con versos. Tu Platonem lepidissimum poëtam audi, audi, inquam, Platonem, poëtam lepidissimum:[3]

Dum semihulco suavio
Meum puellum suavior,
Dulcemque florem spiritus
Duco ex aperto tramite,

---

2. Apul., Apolog. p. 280. exempli Elmenhorstiani.

3. Carmen hoc servatum debemus Gellio (XIX, 11.) et Macrobio (Saturn. II, 2.) unde inter Catalecta retulit Scaliger. Recepit etiam in Anthologiam (I, 663.) Burmannus secundus.

Anima aegra et saucia
Currit mihi ad labia,
Rictumque oris pervium,
Et labra pueri mollia,
Rimata itineri transitus,
Ut transiliret nititur.
Tum si morae quid plusculae
Fuisset in coëtu osculi
Amoris igne percita
Transisset, et me linqueret,
Et mira prorsum res foret,
Ut ad me essem mortuus,
Ad puerum interviverem.

Solonem quoque et unum ex septem sapientibus habitum et severum virum et verum philosophum nemo est, qui nesciat, attamen eum similiter quidem versus lascivos [4] edidisse palam est. Item Diogenem Cynicum, Zenonem Stoicum, Teium Lacedaemonium, Callimachum, in quibus vel praecipue numeranda est Sappho Lesbia, cujus versus, qui etiam Latini extant, ad Phaonem Siciliensem amatorem suum adeo impudici, adeo procaces, alioqui adeo elegantes sunt, ut cuilibet legenti pruriginem excitent, etiam ipsi Nestori Priamoque. Enimvero, ut Horatius in poëticis institutionibus scriptum reliquit,

4. cf. Apul. Apol. p. 278.

semper poëtis atque pictoribus concessum fuit quodlibet audere licere. Cum vero lasciviam delegerint, ea lex est poëtis et verissima illa quidem, quam Catullus[5] dixit:

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est,
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sint molliculi ac parum pudici,
Et quod pruriat incitare possint.

Quod et Valerius Martialis[6] eruditissime simul et facetissime probat in haec verba:

sed hi libelli,
Tanquam conjugibus suis mariti,
Non possunt sine mentula placere.

Ego itaque tantorum virorum exemplo nitor, majorum praecepta custodio, denique aliquid struere studeo, quod sit in suo genere perfectum, fremat licet Odus[7] nescio quis ex ultima vulgi faece, qui nihil furiosi habet praeter cerebrum, utique vir malevolus falsoque putans me proinde parum pudicum, quia versiculi mei molles ludicrique sunt, quasi ut

---

5. Carmine XVI.

6. Epigrammate XXXVI. libri I.

7. Vide epigramma XVIII. libri primi et XI libri secundi Hermaphroditi.

cetera bona ita illud quoque nescierim, quod scilicet eo jucundiores futuri sunt hujusmodi versus, quo minori cum severitate compositi, atque eo sanctiores judicandi, quo apertiores sunt. Qua in re si meo testimonio satis non fidit, Madaurensi illi, magnae auctoritatis viro, non potest non assentiri, qui non ineleganter ait:[8] „Platonis versus tanto pudicitius „compositi, quanto simplicius professi. Dis„simulare enim et occultare peccantis, profi„teri et promulgare ludentis est.“ Et sane perquam ridiculum est, eos impuros interpretari, qui spurcis verbis utantur, cum res exigit. Sane qui medendi scientia morbos curant, hi, cum obscenis partibus medicamenta adhibere volunt, obscenis vocabulis id explicent opus est. An idcirco eos vita obscenos arbitrabere? Scimus Voconium poëtam summa castimonia praeditum fuisse, et tamen eum parem lasciviam exercuisse satis indicat epigramma, quod divus Adrianus ejus sepulcro inscripsit:

Lascivus[9] versu, mente pudicus erat.

Rursum quis ambigit, Annaeum Senecam Christum novisse, et apostoli Pauli amicum fuisse, et in catalogo sanctorum positum? Ce-

---

8. **Apulejus in Apol. p. 281.** 9. **Apul. Apol. p. 280.**

terum, si quid Plinio Secundo [10] credimus, non seria modo, verum etiam lusus et sales descripsit. Praeterea floret hac in nostra tempestate sacerdos quidam non minus continens, quam disertus atque eloquens habitus, cujus, ut vulgo loquar, praedicationibus saepenumero ipse adfui, et nisi surdus omnino sum, ita nudis ac deturpatis effatibus interdum excandescentem in frequentissimum populum audivi, ut non dicam in templo, sed ne in foro quidem adesse crediderim. An illum propterea turpem judicabis, quia turpia turpiter, i. e. foedioribus verbis castiget? Minime hercle. Mihi quidem, si nescis, eadem mens est et intentio, nec refert, si per lusus ac jocos id ago. Namque eo modo et nos agere posse majores nostri, ut praediximus, instituerunt, et instituta perpetuo observarunt, et sane omnes. Nam si veterum scriptorum monumentis fides praestanda est, quicunque perlegitur, aut rerum, aut verborum simul et rerum lascivia praelusit, quorum ex nostris perpaucos nominabo. Nam si singulos exsequi velim, equidem scribam Orestem [11] alterum, et in tergo scriptum, nec dum finitum necesse est. Igitur, ut Plinii [12] verbis

10. Epist. V, 3. 11. Juven. I, 5. 6. 12. Epist. V, 3.

utar, verear, ne me non satis deceat, quod decuit M. Tull. Ciceronem, C. Calvum, Pollionem, M. Messalamque et Hortensium ac M. Brutum, L. Syllamque ac Scaevolam, Servium Sulpitium, Varronem, Torquatum, immo Torquatos, C. Memmium, Lentulum, Gaetulicum, Virginium Rufum, Cornelium Nepotem, et denique Plinium ipsum, et, quos paene praeterieram, Ennium Acciumque, et, si non sufficiunt exempla privata, divum Julium, divum Augustum, Nervam, Tiberium Caesarem atque alios ferme innumerabiles? Ego quoque tot tantorumque virorum exemplo atque auctoritate fretus non est, quod verear hisce carminibus jocari, ludere, ridere,[18] cum sciam, iras, fletus hac quoque ratione mitigari posse. Mire quidem his opusculis animus remittitur, refovetur et ad majora succenditur. Verum enimvero epigrammata, quia brevia, licet arguta sint, et quibus non copia, sed acumine certamus, potest non otiosus quisque perficere, seria vero, quia continua et longa sunt, sane nisi otiosus securusque non potest. Quo fit, ut, si maxime id concupiscam, serias res tamen reponere non

---

18. Pro cum *sciam, iras, fletus hac quoque ratione mitigari posse* Parisiensis dat *tum irasci, amare, flere, et denique remitti posse.*

queam inpraesentiarum. Distringor enim mille atque iterum mille occupationibus, quibus nullo pacto carere nunc possum. Sin vero, quod deus o. m. sinat, aliquando extricer,

Condere victuras tentem per saecula curas,
Et nomen flammis eripuisse meum.

Sed quid ego haec tecum, qui itidem quod ego sentis, quique pro tua eruditione facile concedis, me sed cum tot tantisque viris errare potuisse? Nam cum neque Odum, neque reliquum vulgus tanti fecerim, ut ejus maledicentiae ad ipsum responderem, tecum id agere consilii fuit, scilicet apud te, virum doctissimum, et qui vulgi imperitiam satis exploratam habes, quererer de ejus in me meosque mores opinione, falsa praesertim. Sed jam multa satis superque satis. — Ex Bononia quam cursim.

II. POGGII FLORENTINI.

In epistola ad Antonium Panormitam, Epistolis Panormitae Venetiis 1553 editis fol. 79. inserta. Legitur illa etiam in Bandini Catalogo codicum Latinorum bibliothecae Mediceae Laurentianae, tomo II. p. 109. et in operibus Poggii curante Thoma Aucupario Argentinae 1513 editis p. 61. Repetiit eam editor quoque Hermaphroditi Parisiensis p. 22 et 23.

Poggius plurimam salutem dicit Antonio Panormitae Siculo. Joannes Lamola adolescens, ut percepi, cum doctus, tum studiosus tui, attulit ad nos libellum epigrammatum tuorum, quem inscribis Hermafroditum, opus et jocosum et plenum voluptate. Hunc cum legisset primo vir clarissimus Antonius Luscus, multisque verbis collaudasset et ingenium et facilitatem dicendi tuam, nam liber est suavissimus, misit deinde illum ad me legendum. Delectatus sum mehercle varietate rerum et elegantia versuum, simulque admiratus sum, res adeo impudicas, adeo ineptas, tam venuste,

tam composite a te dici,[1] atque ita multa exprimi turpiuscula, ut non enarrari, sed agi videantur, neque ficta jocandi causa, ut existimo,[2] sed acta existimari possint. Laudo igitur doctrinam tuam, jucunditatem carminis, jocos, sales, tibique gratias ago pro portiuncula mea; qui Latinas musas, quae jam diu nimium dormierant, a somno excitas. Pro caritate tamen, qua omnibus debitores sumus, unum est, quod te monere et debeo et volo, ut scilicet deinceps graviora quaedam mediteris. Haec enim, quae adhuc edidisti, vel aetati concedi possunt, vel licentiae jocandi. Ita et Virgilius adolescens lusit in Priapeia, et multi praeterea, qui post lascivos versus severioribus vacaverunt. Ut enim Terentius noster refert, haec aetas aliam vitam, alios mores postulat. Itaque tuum est, jam missam facere lasciviam,[3] et res serias describere, ne arguatur vita impura libelli obscenitate. Scis enim, non licere idem nobis, qui Christiani sumus, quod olim poëtis, qui deum ignora-

---

1. Sic locus legitur in exemplo Hermaphroditi Parisiensi, in Lexico Baeliano, et apud Bandinum, paulo secus autem in libro Veneto: *admiratus sum res impudicas tam venuste, tam copiose a te dici.*

2. Cur tandem ita existimas, o bone?

3. In Veneto libro *licentiam.*

bant. Sed fortasse sus Minervam. Tu ipse hoc idem sentis, quod laudo proboque, et te ad majora hortor. Haec bono animo accipias rogo, ego enim tuus sum. Tu Poggium adscribe tuis. Plura scripsissem, si per otium licuisset, et me, quando id mutuum fieri intelliges, ama. Romae III.[4] Non. Apriles, manu festina.

III. GUARINI VERONENSIS.

In epistola ad Joannem Lamolam, quam Hermaphrodito praefixam ex codice manuscripto bibliothecae Riccardianae edidit Lamius in Catalogo codicum manuscriptorum illius bibliothecae p. 37. Legitur ea etiam apud Parisiensem Hermaphroditi editorem p. VI — VIII. atque apud Bandinum in opere citato, tomo II. p. 106. 107.

Guarinus Veronensis suavissimo Johanni Lamolae S. P. D. Posteaquam alteras ad te de-

4. Venetus liber *IV. Non. Aprilis.*

scripseram, tuae et graves et ornatae redditae mihi sunt, quae eo accumulatiores venerunt, quo etiam comitem habuerunt libellum vere Ἑρμαφρόδιτον. Adeo prudenter et polite conscriptus est, ut sane Mercurio juncta venustas videatur, quod et ipsum Graece sapit vocabulum. Mirari profecto licet suavissimam carminis harmoniam, dicendi facilitatem, inelaborata verba et inoffensum compositionis cursum. Nec idcirco minus carmen ipsum probarim et ingenium, quia jocos, lasciviam et petulcum aliquid sapiat. An ideo minus laudabis[1] Apellem, Fabium ceterosque pictores, quia nudas et apertas pinxerint in corpore particulas, natura latere volentes? Quid si vermes, angues, mures, scorpiones, ranas, muscas fastidiosasque bestiolas expresserint, num ipsam admiraberis et extolles artem artificisque solertiam? Ego medius fidius hominem probo, ingenium miror, et ludente delector, flente rideo, lupanari medio scortantem laudo versum. Plus valet apud me conterranei mei, vatis non inlepidi, auctoritas, quam imperitorum clamor, quos nil nisi lacrymae, jejunia, psalmi delectare potest, immemores, quod aliud in vita, aliud in oratione spectari convenit. Ut autem ad

---

1. In exemplo Hermaphroditi Parisiensi *laudabo.*

meum conterraneum[2] revertar; ille hunc in modum ait:

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est,
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sint molliculi ac parum pudici,
Et quod pruriat incitare possint.

A qua quidem sententia et noster Hieronymus non abhorret, homo castimonia et integritate praeditus inprimis, qui quum in meretricis sermonem incidisset, quantam lascivienti ac vere scortanti calamo permisit licentiam![3] [4] „Quo cum recedentibus cunctis

---

2. Catullum, carmine XVI.

3. In vita Pauli Eremitae, fol. 108. tomi I. Operum Hieronymi ab Erasmo Basileae 1516 editorum.

4. Juvat et antecedentia addere ex Hieronymo: *Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romae, Cyprianus Carthagine, felici cruore damnati sunt, multas apud Aegyptum et Thebaidam ecclesias tempestas saeva populata est. Voti tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens animas cupiebat jugulare, non corpora. Et, ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus, ait, volentibus mori non permittebatur occidi. Cuius ut crudelitas notior fiat, duo memoriae causa exempla subjecimus. Perseverantem igitur in fide martyrem, et inter eculeos laminasque victorem jussit melle perungi, et sub ardentissimo so-*

„meretrix speciosa venisset, coepit delicatis „stringere colla complexibus, et quod dictu „quoque scelus est, manibus attrectare virilia, „ut corpore in libidinem concitato se victrix „impudica superjaceret.“ [5] Quis leno impudens flagitio magis linguam involveret? Habeo mille et quidem locupletissimos testes, graves, continentes et Christianos homines, qui spurcissimo uti sermone nihil expaverunt, quum res postulabat. Sed in re certa supervacuum est, testes citare minime necessarios. Laudo igitur non modo ἐποποιόν, sed et poëtam nostrum. Ita enim appellare velim:

---

le ligatis manibus post tergum resupinari, scilicet ut muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset. Alium juvenili aetate florentem in amoenissimos hortulos praecepit abduci, ibique inter lilia candentia et rubentes rosas, cum leni juxta murmure aquarum serperet rivus, et molli sibilo arborum folia ventus praestringeret, super exstructum plumis lectum resupinari, et ne se inde posset excutere blandis serico nexibus irretitum relinqui.

5. En etiam reliqua Hieronymi, a Guarino praetermissa: *Quid ageret miles Christi et quo se verteret nesciebat. Quem tormenta non vicerant, superabat voluptas. Tandem coelitus inspiratus praecisam morsu linguam in osculantis se faciem exspuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit.* Ceterum Hieronymiana illa *recedentibus cunctis meretrix speciosa venisset, coepit* operarum vitio desunt apud editorem Parisiensem.

Musarum decus, Antoni, per saecula salve.
Theocriton, antiquum Siculae telluris alumnum,
Effingis, prisca revocans dulcedine vatem.
Sicilides Latio per te dabit Aetna Camenas.

Vale, mi Johannes, et literarum mearum λακωνισμῷ da veniam, haud enim me sinunt occupationes μακρολογεῖν. Quid nostri sentiant de hominis ingenio faxo sentias, quum eos in voluptatis partem vocaro. Vale iterum. Veronae IV. Nonas Februarias.

IV. ALBERTI SARTHIANENSIS.

Ex epistola ad Christophorum episcopum Ariminensem, in Martenii et Durandi veterum scriptorum et monumentorum amplissima Collectione tomo III. p. 796. edita.

Ante non multos dies, ut praeclare nosti, cum post reditum nostrum ex transmarina sanctorum nostrae salutis locorum peregrinatione ad pia vestigia sublimis beatitudinis Eugenii papae sanctissimi merito osculanda essem ascitus, aliquanto temporis spatio Bononiae coram illo versatus sum. Ubi redeunti mihi domum ab eo templo communi, in quo prop-

ter dicendi consuetudinem in omnium ore quotidie eram assiduus, semel forte accidit, ut homo quidam, sicut arbitror, tuus, idemque, quantum mihi visus est, presbyter Christi nobis occurreret, quaedam mihi tuo nomine referens, quae tibi modo explicanda constitui. Ajebat libellum nescio quem sive epistolam quandam nostram te vehementius videre legereque percupere, quam nuper, ut dicebat, adversus perditum hominem, si non se ad meliora converterit, Antonium quendam Panormitanum, ad repudiandum maledicum illum suum vel potius putidicum sceleratissimumque libellum, quem inscribit Hermaphroditum, edideramus. Huic ego e vestigio aperte respondi, nullos me hoc tempore libellos, sed neque epistolam ullam adversus quempiam edidisse, praeter unam, quae contra martyrum vituperatores ad Eugenium papam delata est. — In Hermaphroditi autem libelli nefarium autorem, quamvis longo mihi jam tempore voto fuerit, pro scelere turpitudinis ejus plurima detonare, ob negotium tamen, quod ad Christianos populos quotidie disserendi habemus laboriosum, quia mihi non vacat, scias me nondum aliquid scriptitasse, extare autem ex nostris unam epistolam, quam hoc ferme triennio ante nostrae profectionis initium ad Ferrarienses honestos adolescentes et Christiane educatos ac liberaliter institutos, Francis-

cum Marescalcum et Philippum Bendedeum, amicos nostros, familiariter scripsimus, in qua et cum altero eorum, qui eas partes mecum assumserat, nefarium opus abominor, et eis pariter exhortantibus me quidpiam aliquid scripturum videor polliceri. Quod ipsum jam effecissem, si non laborum meorum praedicta ratio restitisset. Sed aderit aliquando, si deus dederit, aptius tempus, quo stilo possimus abominanda diluere, quae tot jam Italiae civitatibus lingua respuere et delere conati.

V. MAPHEI VEGII.

Exstare hujus viri sua aetate haud obscuri Invectivam in Panormitam Florentiae in codice bibliothecae Magliabecchianae Latino VIII. forma quaternaria anno 1445 manu scripto, folio 287 partis posterioris didici ex epistola Friderici Adolphi Eberti, viri literatissimi, nuper ad me humanissime missa. Exordium Invectivae hoc est:

Plaudite lenones, meretrices plaudite vestes,
Quam bene membrosus Hermaphroditus adest!

VI. PETRI BAELII.

In Lexico historico-critico ad nomen Panormitae.

Son poëme latin intitulé Hermaphroditus n'a point vu le jour. C'est une pièce si remplie de saletés, que Pogge même la désapprouva. Il fut dédié à Cosme de Medicis, qui en fit faire plusieurs copies, dont quelques-unes sont encore dans la bibliothèque de St. Laurent. La raison pourquoi on le dédia à ce grand homme fut parceque sans s'arrêter au jugement du vulgaire il se plaisoit à la lecture de cet ouvrage lascif. L'auteur fait lui-même cette remarque, car voici son debut: Hermaphroditi libellus incipit ad Cosmum Florentinum ex illustri progenie Medicorum, virum clarissimum, quod spreto vulgo libellum aequo animo legat, quamvis lascivum, et secum una priscos viros imitetur. *Mr. Magliabecchi a un exemplaire manuscrit de ce poëme. On écrivit en ce tems-là beaucoup de lettres touchant cette poësie. Guarin de Verone en écrivit une à Jean Lamola, ou il donne de grands éloges à l'Hermaphrodite, et à son auteur. Mr. Magliabecchi a le manuscrit de cette lettre. Le Gyraldi trouve*

fort étrange que ce poëme ait été loué: legi, *dit-il,* ejus aetatis quorundam epistolas, quibus Hermaphroditus illius multis laudibus commendatur, sed quare nescio. Dicam ego vobis sane quid sentio. Nec is mihi poëta bonus, nec bonus orator; quae enim soluto et pedestri sermone ejus scripta legi, luxuriantis magis quam bonae frugis referta videntur, ut impudicas et prostitutas ejus musas mittam. *Vous voyez que non seulement il déteste l'impurité de cette pièce, mais qu'il en méprise aussi les vers. Pogge n'avoit point donné cette étendue à sa critique; il avoit loué les inventions, le sel et les ornemens de l'ouvrage, mais il en avoit condamné les obscénités, et il avoit conseillé à l'auteur de travailler désormais à des sujets plus convenables à un Chrétien. Panormita repondit à Pogge et lui allégua bien des raisons, ou pour se justifier, ou pour s'excuser. Pogge lui repliqua et lui soutint qu'il faut pratiquer l'honnêteté non seulement dans les actions, mais aussi dans ce qu'on écrit, d'où l'on peut conclure qu'il se repentoit d'avoir employé sa plume à des productions lascives pendant sa jeunesse. Finissons par les paroles d'un écrivain Hollandois*[1] *qui a lu ce sale poëme.*

---

1. Intelligit anonymum autorem adnotationum ad

de Panormita: de Hermaphrodito quod dicit (Gyraldus)[1], non est de nihilo. Ego enim legi manu descriptum, neque enim unquam est typis excusus, adeo spurcum, adeo abominabilem, ut nihil supra. Versus deinde ipsi vix sunt tolerabiles, tantum abest, ut laudem aliquam mereantur. Inscribitur autem Hermaphroditus eo quod utriusque sexus membra genitalia utriusque libelli omnem materiam faciant. Haec qui patienter legit, nae illum oportet esse hominem frugi.[2]

Sannazarii poëmata Amstelodami anno 1689 edita, quem Janum Brukhusium fuisse docet Bernardus Moneta in dissertatione de Hermaphrodito Pulicis, tomo quarto Menagianorum adjecta. Locus Brukhusii legitur p. 203 libri laudati.

2. Vide ergo, num patienter ista legendo te hominem frugi sis praestiturus, qualem se praestitisse in Petronio Justum Lipsium intelliges ex ejus epistola ad Pithoeum scripta libro tertio Epistolicarum quaestionum: *ut in vita, sic in studiis juvat severitati adspersa comitas. Ea causa frequenter soleo a gravioribus libris animum quasi in ludum mittere ad scriptores amoeniores. Quo in numero Petronium repono, quicquid dicant isti frontis severae. Abesset tantum nuda illa nequitia, qua tamen nihil offendor. Joci me delectant, urbanitas capit, cetera nec in animo, nec in moribus meis, magis labem relinquunt, quam olim in flumine vestigium cymba. Ut vina apposita vinosum movent, invinium, ut antiqui loquebantur, non movent, sic ista animum jam ante improbum fortasse incient, casto et castigato non adhaerent.*

VII. BERNARDI MONETAE.

In dissertatione Gallice scripta de Hermaphrodito Pulicis Vicentini, quae tomo quarto Menagianorum est adjecta.

Antonio Bologna Beccadello, en latin Antonius Bononia Beccadellus, *nommé plus communément Antonius Panormita, avoit dans sa premiere jeunesse composé diverses poësies licentieuses, dont il fit un recueil qu'il intitula Hermaphroditus, parceque toutes les ordures touchant l' un et l' autre sexe font la matière du volume, et que rien de part ni d' autre n'y etoit enveloppé. L' auteur anonyme des notes sur Sannazare de l' édition de Hollande 1689. (c' est Janus Brukhusius) dit avoir vu et lu manuscrites ces infames poësies d' Antoine de Palerme, qui n' ont jamais été imprimées. Le scandale qu' elles causèrent fut si grand, que deux célèbres prédicateurs Cordeliers de ce tems-là, Bernardin de Sienne et Robert de Lecce, si connu sous le nom de Robertus de Licio, après avoir déclamé contre l' auteur, les brulèrent en place publique à Boulogne, à Ferrare et à Milan. Pogge*

lui-même, dont nous avons des contes si libres et qui d'ailleurs étoit alors son ami, ne pouvant souffrir des impuretés si débordées, l'avertit jusqu'à deux fois du tort que cela pouvoit faire tout au moins à sa réputation. Albert de Eyb dans sa Marguerite poëtique, qui est une collection de passages tant en vers qu'en prose tirés de divers auteurs anciens et modernes, a extrait une trentaine de vers ex Joanne Antonio Hermaphrodita, *corrompant ainsi ridiculement le nom d'Antoine de Palerme et le titre de son ouvrage. Il étoit dédié au grand Cosme de Medicis l'ancien. Le manuscrit qu'on en garde encore dans la bibliothèque du Grand-Duc contient l'épigramme de Pulex insérée à cause du titre d'Hermaphrodite au commencement du livre d'Antoine de Palerme, à qui par la même équivoque elle fut ensuite attribuée. Il n'etoit pas capable de faire une si bonne pièce. L'anthologie entière n'a rien de mieux tourné, de plus fin, ni de plus joliment imaginé, et ce n'est pas un petit honneur à Politien d'avoir pu donner une assez belle copie d'un si parfait original.*

VIII. JANI BRUKHUSII.

Ad Tibullum I, 2, 24.

Maxime hunc Aurispam laudibus saepe tulit Antonius Panormita in Hermaphrodito, libello nondum edito nec unquam [1] edendo, unde didici Florentiae habitasse, gratum et jucundum Cosmo Medici atque inter primos Italiae eruditos numeratum. Uno epigrammate defungar, cetera enim sunt nimis spurcidica. *Jam profert epigramma XXII libri secundi, quo facto pergit:* Hac ratione Zoilum fuisse oportet Franciscum Philelphum, virum suae aetatis multo doctissimum, ad quem collatus Panormita nimius nugator est. Is Philelphus Aurispam hunc vix pro semidocto habet Epist. III, 37. V, 8. 16. 32. VI, 42. Aliquanto clementius censebat Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo primo de poëtis suorum temporum: „Joannes Aurispa, Siculus orator, in aliquo „poëtarum ordine reponi potest, quippe qui „Graece et Latine probe doctus esset, carmi-

1. Quam actum foret de te, docte Panormita, si Hermaphrodito tuo aetatem ferre non contigisset. Profecto effecissent superciliosi isti morum censores, ut vel Elephantidis Philaenidisve libelli (heu fuerunt!) posteris casti viderentur ad epigrammata tua. Sed non norunt haec monumenta mori.

„na tamen ejus, quae ipse legi, nescio quid „Sicularum gerrarum habere videntur. Fuit „enim eo tempore, quo nondum exquisitae li- „terae in lucem redierunt. Vixit autem Fer- „rariae ad summam senectutem, in pretio ha- „bitus a nostris principibus, qui et eum locu- „pletem[2] reddiderunt.“ Certe inter Panormitae lusus exstat unum Aurispae epigramma, unde Gyraldi judicium pulchre possit firmari, sed est hoc ipsum flagitiose impurum.[3]

---

2. Abbatias duas obtinebat in Sicilia beneficio Nicolai V. pontificis Romani. Alteram vero videtur Aurispa, in jus vocatus a quodam, quem Alphonsus rex ea prius donaverat, post aut locare aut vendere voluisse, teste Antonio in literis ad Aurispam datis folio 112. libri Veneti: *te rogo, ut si abbatiam, quam in nostra Sicilia obtines, locare aut transferre constituis, illam loces et transferas domino Blacco Speciali.*

3. Scilicet intelligit casta anima epigramma VIII. libri secundi.

IX. JOANNIS GEORGII SCHELLHORNII.

In Amoenitatibus literariis tomo V. p. 3.

Antonius Beccadellus, origine Panormitanus, celebratissimi suo tempore vir nominis, praeter alia Fescenninos scripsit versus, quos in unam congeriem collectos Hermaphroditi titulo insignivit, Cosmoque Medici dicavit. Ex hoc libro aliquot versus producit Albertus de Eyb, Pio II. pontifici maximo a cubiculis, in Margarita sua poëtica, eosque ex Joanne Antonio Hermaphrodita haustos esse ridicule asserit, notante elegantissimi ingenii viro Bernardo Moneta in Menagianis.

In iisdem Amoenitatibus literariis tomo VIII. p. 474.

Antonii Bononiae Beccadelli, vulgo Antonii Panormitae, spurcum poëma Hermaphroditi titulo insignitum ipsique Joanni Francisco Poggio, obscenitatum magistro, improbatum Bononiae, Ferrariae et Mediolani Bernardinum Senensem et Robertum Licium, famigeratissimos sui aevi concionatores, postquam

prius contra auctorem graviter declamassent, publice annuente populo combussisse testis est Bernardus *de la Monnoye* in dissertatione *sur la fameuse épigramme latine de l'Hermaphrodite*, tomo IV Menagianorum.

X. PETRI BURMANNI SECUNDI.

Ad Anthologiam Latinam tomo I. p. 620.

Forte illis aliquid innotuerat de libello Panhormitae impudicissimo, cui titulum Hermaphroditi dedit, sed qui foetus luci publicae nunquam expositus fuit, neque sane id meretur propter foedam spurcitiem et obscenitatem, praesertim cum versus ipsi malum et gregarium prodant poëtam, et fuisse aliquando publice combustum narrant Amoenitates literariae Schellhornii, tomo VIII. p. 474. Valde tamen laudatur a Poggio in Epistolis fol. LXXXVII. et ab hujus, ut opinor, libri obscenitate ac lascivia se defendere conatur ipse Panhormita in Epistola ad Poggium libro IV Epistolarum p. 80 [1] et sequentibus.

---

1. Immo *folio* 80 et sequentibus.

Illius apographum cum aliis ejusdem auctoris carminibus ad me pervenit ex supellectile amplissimi Joannis de Witt, qui codicem ipsum nactus fuerat ex scriniis Jani Brukhusii, nisi ille a Wittio habuerit. Certe ineditum hoc Panhormitae opusculum memorat ad Tibullum I, 2, 24. et de eo sic judicat in notis ad Sannazarium II, 2, 31. ubi multa de Panhormitae vita ac studiis collegit. *Sequitur nunc locus Brukhusii ex Lexico Baeliano supra a nobis jam adductus.*

PRÆFATIO

EDITORIS PARISIENSIS.

Antonius poëta a Sigismundo imperatore laurea donatus; jurisconsultus et eques, ex familia Beccatellorum Bononiensium, natus est Panormi Siciliae anno 1393, atque inde notus sub nomine Panormitae, diem obiit extremum anno 1471, die VI Januarii, ætatis 77; de quo praeter Jovium et elogia Sicula Hieronymi

Ragusae, Nicolaique Toppii bibliothecam Neapolitanam in Antonio Bologna, et Petri Baelii dictionarium in Panormita, videsis Antonium Mongitorem de scriptoribus Siculis tomo I. p. 55 seq., nec non Jacobum Gaddium de scriptoribus non ecclesiasticis, Lugd. per Joan. Petr. Chancel, 1649. fol. tomo II. p. 128, sed prae reliquis Apostolum Zenum, Dissertazioni Vossiane, Venezia per Gio. Bat. Albrizzi, 1752, in 4. tomo I. p. 305. qui de ejus vita et operibus editis et ineditis doctissime edisserit. Celeberrimi sunt Panormitae libri IV de dictis et factis Alphonsi regis utriusque Siciliae et Aragoniae, cujus secretioris scrinii magister fuit, pluries recusi. Mille aureos praemium tulisse ab Alphonso Panormitam notavit Jo. Jovianus Pontanus libro de liberalitate, cap. 29. tomo I. operum p. 328; cujus etiam dialogus Antonius tomo II. p. 1196 seq. ad hujus Panormitae laudes pertinet. Ejus epistolarum libri V cum orationibus II. ad Ligures et ad Alphonsum regem et cum carminibus ejusdem Panormitae prodiere Venetiis 1553. in 4. Aliae orationes duae ad Caëtanos et Venetos de pace extant apud Barthol. Facium de rebus gestis Alphonsi, Lugduni 1560. in 4. libri III. p. 103. et libri IX. p. 259. Aliae epistolae quoque occurrunt in libro excuso anno 1586. in 8. cui titulus: regis Ferdinandi et aliorum epistolae ac orationes utriusque mi-

litiae. Oratio in coronatione Friderici III. quam anno 1452 Romae habuit, extat in Freheri scriptoribus Germaniae tomo III. statim sub initio, repetita ex veteri Veneta editione. Ejus carmina, quibus titulum fecit Hermaphroditum, ne Poggio quidem probata propter lasciviam, et in Constantiensi concilio damnata, Cosmo Medices patri patriae inscripta, manu exarata adhuc in bibliothecarum scriniis latuere, ut in Medicea Florentiae, Ambrosiana Mediolanensi, Farnesiana Neapoli, Regia Parisiensi etc. eaque nunc omnium primi publica luce donamus. Contra hujusce libri lasciviam insurrexerunt Franciscus Philelphus, Laurentius Valla, Raudensis, Marianus Volaterranus in poëmate suo in ipsum conscripto, manuscripto olim apud Apostolum Zenum Venetiis. Quin etiam e sacro suggestu celeberrimi ea aetate verbi dei praecones, ut Bernardinus Senensis ac Robertus Aleciensis, plurimum declamarunt; unde Laurentius Valla in Facium invectiva II. p. 543. edit. Basil. 1540. in fol. haec memoriae prodidit de Panormita: „Certe bis in celeberrimis Italiae locis, „primum Ferrariae, cum papa synodo ad- „esset, iterum Mediolani, omnium populo- „rum frequentia inspectante, per imaginem „chartaceam crematus est, tertio per se ip- „sum cremandus, ut spero.“

Hoc sibi epitaphium vivens, sed morti proximus, composuit:

Quaerite, Pierides, alium qui ploret amores,
Quaerite qui regum fortia facta canat.
Me pater ille ingens, hominum sator atque redemptor,
Evocat, et sedes donat adire pias.

HERMAPHRODITUS.

Non norunt haec monumenta mori.

HERMAPHRODITI
LIBELLUS PRIMUS.

I.

AD COSMUM FLORENTINUM,

EX ILLUSTRI PROGENIE MEDICORUM VIRUM CLARISSIMUM, QUOD SPRETO VULGO LIBELLUM ÆQUO ANIMO LEGAT, QUAMVIS LASCIVUM, ET SECUM UNA PRISCOS VIROS IMITETUR.

Si vacat a patrii cura studioque senatus,
Quidquid id est, placido lumine, Cosme, legas.

I.

Exhibetur hoc carmen tum in opusculis Panormitae Venetiis anno 1553 editis, et primo quidem inter carmina loco, tum in Bandini Catalogo codicum Latinorum bibliothecae Mediceae Laurentianae tomo II. p. 107. Argumentum *quod spreto vulgo libellum aequo animo legat, quamvis lascivum, et secum una priscos viros imitetur* debeo Bandino. Venetus editor omisit, nec ha-

Elicit hoc cuivis tristi rigidoque cachinnos,
Cuique vel Hippolyto concitat inguen opus.
Hac quoque parte sequor doctos veteresque poëtas,
Quos etiam lusus composuisse liquet,
Quos et perspicuum est vitam vixisse pudicam,
Si fuit obsceni plena tabella joci.
Id latet ignarum vulgus, cui nulla priores
Visere, sed ventri dedita cura fuit,
Cujus et hos lusus nostros inscitia carpet.
Oh ita sit! Doctis irreprehensus ero.
Tu lege, tuque rudem nihili fac, Cosme, popellum,
Tu mecum aeternos ipse sequare viros.

---

bet Parisiensis. Inscribitur apud hunc *ad Cosmum ex illustri progenie Medicorum virum clarissimum*, apud illum *ad Cosmum Medicem virum clarissimum.*

3. 4. Parisiensis *rigidoque*, Bandinus *rigidove*, Venetus mollius

Eliciet quamvis rigido de pectore risus,
Sollicitae et menti dulce levamen erit.

Conf. Ovid. Amor. II, 4. *illic Hippolytum pone, Priapus erit.*

7. Bandinus et Paris. *vixisse*, Venetus *duxisse.*

8. Venetus solus: *sit licet interdum plena tabella joci.*

9. Paris. *ignarum*, Venetus et Bandinus *ignavum.*

II.

AD SEMET IPSUM LOQUITUR ET RESPONDET.

Cosmus habet dios et lectitat usque poëtas;
Quid studium turbas, rauce poëta, suum?
Cosmus habet lautas epulas; quid oluscula coenat?
Una quidem ratio est et studii et stomachi.

III.

AD COSMUM, VIRUM CLARISSIMUM, DE LIBRI TITULO.

Si titulum nostri legisti, Cosme, libelli,
Marginibus primis Hermaphroditus erat.

II.

Hujus carminis et omnium sequentium utriusque libelli Bandinus titulos tantum attulit, exceptis duobus carminibus (I, 43. II, 38.) quae integra, et quatuor versiculis (I, 42, 1. 2. II, 1, 1. 24.) quos et ipsos operi suo inseruit.

1. Habet poëtas, nam erat aliquid illa aetate habere libros.

4. Quippe delectat utrumque variare.

Cunnus et est nostro simul est et mentula libro;
Conveniens igitur quam bene nomen habet.
5 At si podicem vocites, quod podice cantet,
Non inconveniens nomen habebit adhuc.
Quodsi non placeat nomen, nec et hoc, nec et illud,
Dummodo non castum, pone quod ipse velis.

IV.

AD MATRONAS ET VIRGINES CASTAS.

Quaeque ades, exhortor, procul hinc, matrona, recede;
Quaeque ades, hinc pariter, virgo pudica, fuge.
Exuor, en bracis jam prosilit inguen apertis,
Et mea permulto Musa sepulta mero est.

III.

3. Editor Parisiensis bis hoc versu exhibet *es*, pro quo dandum putavi *est*.

5. *Podice*, intellige *de podice*.

IV.

3. Martialis III, 68. *Recede: exuimur, nudos parce videre viros.*

Stet, legat et laudet versus Nichina procaces,
Adsueta et nudos Ursa videre viros.

V.

DE URSA SUPERINCUBANTE.

Quum mea vult futui superincubat Ursa Priapo;
Ipse suas partes substineo, illa meas.

---

5. De Nichina conferas epigramma XXX libri posterioris.

V.

1. Figura est coitus ea, qua viro supino superincubat femina, sive prona, sive aversa. Apulej. Metamorph. libro II. p. 122. exempli Elmenhorstiani: *haec simul dicens inscenso grabatulo super me cossim residens* (Fotis) *ac crebra subsiliens lubricisque gestibus mobilem spinam quatiens pendulae Veneris fructu me satiavit.* Martialis XI, 105.

Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
Hectoreo quoties sederat uxor equo.

Ovidius de arte amatoria III, 777. 78.

Parva vehatur equo; quod erat longissima, nunquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.

Aloisia Sigaea p. 278. exempli 1678. Fescennini editi: *surge et aversa intra femina tua Rangonium subiice. Ejus machaera jacentis vaginae respondeat imminentis.* Eadem III, 69. *exsilit* (Sem-

Si juvat, Ursa, vehi, moveas clunemque femurque
Parcius, aut inguen non tolerabit onus.

---

pronia) *in supinum* (Chrysogonum) *et sedens obversa spiculum candens divaricatis femoribus vibrat ipsa in se sua manu.*

3. Clunes et femora subsultim movere dicitur *crissare*, id quod feminae faciunt tum in coitu ad voluptatem frictu augendam, quo spectat illud Martialis XI, 105. *nec motu dignaris opus juvare*, tum in saltatione, ad libidinem spectatorum excitandam, in quo genere Gaditanarum puellarum fama erat maxima. Martialis V, 79.

Nec de Gadibus improbis puellae
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

Idem XIV, 203.

Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Talis erat Quintia Priap. XXVII.

Deliciae populi magno notissima circo
Quintia vibratas docta movere nates.

Talis Telethusa Priapeio XIX.

Hic quando Telethusa circulatrix,
Quae clunem tunica tegente nulla
Exosse aptius altiusque motat,
Crissabit tibi fluctuante lumbo?
Sic ut non modo te, Priape, posset,
Privignum quoque sed movere Phaedrae.

Deinde cave reduci repetas ne podice penem;
Quamvis, Ursa, velis, non mea virga volet.

VI.

DE CORVINO, VINUM ACCURATE CUSTODIENTE, NON UXOREM.

Corvinus vegetem custodit clave seraque,
Non cohibet cunnum conjugis ille sera.

Pro vulgato *extis*, quod tolerari nequit, cum exta nec apte moveantur, nec alte, ausus sum scribere tertio versiculo, quem Sibyllae folium esse pronuntiat Scioppius, *exosse*. Exossis enim videtur puella, quae clunibus et coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine didicit lascive fluctuare. Apulej. Apolog. p. 321. 22. *mox in juventute saltandis fabulis* exossis *plane et enervis*. Idem Metamorph. lib. I. p. 103. 104. *Et ecce puer in mollitiem decorus insurgit, inque flexibus tortuosis enervem et* exossem *saltationem explicat*. Lucretius IV, 1266. *atque* exossato *ciet omni pectore fluctus*.

5. Non vult offerri sibi corollarium puerile Fotidis Apulej. Metamorph. lib. III. p. 138. *bacchamur in Venerem, cum quidem mihi jam fatigato de propria liberalitate Fotis puerile obtulit corollarium*.

VI.

1. *Veges* Latinitate media est dolium, vas vinarium

Zelotypus vegetis, cunni sed prodigus ille est;
Haustu nam cunnus non perit, illa perit.

VII.

EPITHAPHIUM PEGASI, CLAUDI PAEDICONIS.

Si vis scire meum nomen votumque, viator,
Pegasus hac ego sum claudus humatus humo.
Vota deinde scias, nomen quum sciveris; audi:
Sic desiderio tu potiare tuo.
Quum pathicum quemquam paedicaturus ephebum es,
Illud in hac tumba, quaeso, viator agas,
Atque ita mis animas coitu, non thure, piato,
Scilicet hanc requiem manibus, oro, dato.

Vita S. Joannis episcopi Tragurensis: *de tanta paucitate uvarum tres majores jam replevimus* vegetes. Vita S. Andreae de Galeranis: *ivit ad* vegetem, *et facto signo crucis hausit abunde,* vegete *repleta divinitus.* Vide infra XIX, 11.

4. Priap. II. *da mihi, quod tu des licet assidue, nil tamen inde perit.*

VII.

7. *Mis* antique pro *mei.* Ennius apud Priscianum

Hoc apud infernas genus est leniminis umbras
Praecipuum; prisci sic statuere patres.
Quippe ita Chironis cineres placabat Achilles,
Sensit et hoc podex, flave Patrocle, tuus,
Gnovit Hylas patrio percisus ab Hercule busto.
Tu mihi majores quod docuere lita.

VIII.

DE URSAE TENTIGINE ET NASO.

Si multus multae est nasus tentiginis index,
Ursae tentigo tenditur usque pedes.

---

libro XIII. p. 955. operis Putschiani: *ingens cura* mis *cum concordibus aequiparare.*

13. Virgilius Georgic. III, 6. *Cui non dictus Hylas puer?* — Martialis XI, 44. *Incurvabat Hylam posito Tyrinthius arcu.* Percidi dicuntur pathici: Martial. IV, 48. *Percidi gaudes, percisus, Papile, ploras;* idem VII, 61. *reclusis foribus grandes percidis, Amille.*

VIII.

Ramusius Ariminensis carmine XXXI.

Et dicor meretrix, lupa, ursa, *vacca:*
Eventus mihi nomina haec notavit.

1. Martialis epigr. 36. libri VI.

Mentula tam magna est, tantus tibi, Papile, nasus,
Ut possis, quoties arrigis, olfacere.

Quin si multa ampli nasi tentigo sit index,
Nasus ad usque tuum tenditur, Ursa, genu.

IX.

AD CORNUTUM.

RESPONDET QUARE RELICTA ETRURIA TRISTIOR SIT.

Quaeris ab unanimi, dulcis Cornute, sodali,
Cur videar licta tristior Etruria,
Cur lusus abiere jocique, et pallor in ore est,
Muta quid heic subito facta Thalia mea est.
Pene potens agit heic Gallus, qui cruscula solus
Quaeque velit, solus basia quaeque velit.

---

2. Juven. VI, 128. *adhuc ardens rigidae* tentigine *vulvae.*

IX.

5. Infra XIII, 5. 6.

Parthenope Gallis *cedit, Florentia Cimbris,*
Si semel his puerum sors tetigisse dedit.

Cruscula velle est paediconis. Idem appellabitur infra libro secundo XXIV, 4. *cruscula adfectare.*

Is sibi habet quodcunque natis vel podicis urbe est,
Quidquid et e Tuscis aut aliunde venit.
Munera dat, Croeso nummato qualia sat sint;
Muneribus blandas adiicit illecebras.
Inde edicta suis scribit quasi praetor ephebis:
Ne sine te tangi, ne sine te subigi.
Non potes ergo loqui puero, ni indulgeat ille,
Ni velit is, puero non potes ipse frui.
Tu contra ingenuas mulieres, tu quoque servas,
Tuve bonas vexas inguine, tuve malas.
Vix tibi quae natum sacro de fonte levavit,
Vix sacra, vixque soror, vix tua tuta parens.
Tu futuis viduas, futuis nuptasque maritasve,
Et tibi vis cunni quidquid in urbe manet.

---

15. Ovid. de arte amatoria II, 627, 28.

Scilicet excuties omnes ubicunque puellas,
Cuilibet ut dicas: haec quoque nostra fuit.

20. Catull. XXXVII, 3. 4. 5.

Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quidquid est puellarum
Confutuere, et putare ceteros hircos?

4

Tu tibi vis igitur tota quid mingit in urbe,
Ille sibi tota quidquid in urbe cacat.
Et mihi quin etiam jam constat mentula, qualem
Qui superat, certe non homo, mulus erit.

---

23. 24. Lampridius in Commodo cap. 10. *habuit et hominem pene prominente ultra modum animalium, quem Onon appellabat.*

Juvenal. IX, 92. *alium bipedem sibi quaerit asellum.*

Hieronymus ad Ezech. XXIII. *insanivit quondam in concubitu Aegyptiorum, quorum carnes sunt ad similitudinem asinorum, et tam largus seminum fluxus, sive verenda tam grandia, ut equorum superent deformitatem.*

Pacificus Maximus elegia X. pagina Parisiensi 124.

Illa salax, quondam quam nullus vicit asellus,
En jacet officio mentula functa suo.

Idem elegia XI.

Aut petat haec alium, membrum non tale videbit,
Taleque non coelum, tale nec orbis habet.

Petronius cap. 92. *habebat inguinum pondus tam grande, ut ipsum hominem laciniam fascini crederes.*

Et mihi nimirum constant viresque vicesque,
    Quales qui vincit, non homo, passer erit.
Cur mihi non igitur futuendi copia fiat?
    Nec sit quae coleos hauriat ulla meos?
Quare agedum nobis de partis cede puellam
    Aut unam, aut unam tu mihi quaere novam.
Tunc me conspicias laetum lautumque licebit,
    Candida tunc pulchrum nostra Thalia canet.

---

26. Priapeio XXV.

> *Quod* (membrum) *totis mihi noctibus fatigant*
> *Vicinae sine fine prurientes,*
> *Vernis* passeribus *salaciores.*

Ad quae Scioppius: *Omnia verno tempore in Venerem sunt proniora, maxime vero omnium passeres. Cum Ingolstadii agerem, vidi e regione musaei mei passerem coitum vicies repetentem, et inde adeo ad languorem datum, ut avolaturus in terram decideret. En sortem iniquam! Hoc passeribus datum, negatum hominibus. Nae qui facinus hujusmodi imitari ausit, faxim ut picos* (in exemplo Patavino anni 1664 mendose *pici*) *qui aureos montes colunt, divitiis ille solus superet. Prae milite Plautino omnes eum sectaturas feminas scilicet!*

X.

IN MATTHIAM LUPIUM, CLAUDUM MALEDICUM.

Nescio quis nostram fertur carpsisse Camenam;
Si non decipior, Lupius ille fuit.
Illa sibi solita est nimium lasciva videri;
Confiteor, vitae congruit ergo suae.
Est vir obscenus, nostrae est lascivia Musae,
Illa levis versu, moribus ille levis.
Adde quod id monstri pedibus non ambulat aequis,
Imparibus constat nostra Camena modis.
Si culpat versus, et se culpare necesse est.
Si sapis ergo, tace, prodigiose senex.

X.

Recepit hoc epigramma editor opusculorum Panormitae Venetus, loco sextodecimo carminum.

4. Venetus *nec videt hanc similem moribus esse suis.*

6. Venetus *illa levis cursu, morsibus ille levis.*

8. Venetus *nostra Thalia modis.*

XI.

IN EUNDEM LORIPEDEM.

Dic mihi, cur longo, Lupi, vestiris amictu;
An vitium surae vis operire toga?
Nil agis, o demens, humeri, latera atque moventur,
Ut tumida nullo remige lembus aqua.

XII.

IN MAMURIANUM, POSTREMAE TURPITUDINIS VIRUM.

Si tot habes scapula penes, quot sorpseris ano,
Et perfers, vincis, Mamuriane, boves.

XI.

Est carmen Venetum XVII. *Loripedem* deest in Veneto libro, Bandinus autem facit cum editore Parisiensi.

XII.

Vir postremae turpitudinis est qui aversa Venere gaudet culumque dat libidini subactorum.

XIII.

LEPIDINUS AB AUCTORE QUAERIT, CUR QUI SEMEL PAEDICARE COEPERIT HAUDQUAQUAM DESISTIT.

Cur qui paedicat semel, aut semel irrumat, auctor
Nugarum, nunquam dedidicisse potest?
Immo Brito et bardus, quum vix gustaverit, ultro
Certat in hoc ipso vincere amore Senas.
Parthenope Gallis cedit, Florentia Cimbris,
Si semel his puerum sors tetigisse dedit.

XIII.

Desistit est lectio Bandini, Parisiensis *desistat.*

3. Britones videbantur priscis homines bardi stupidique. Juvenal. XV, 111. *Gallia causidicos docuit facunda Britannos.* Isidorus Originum libro IX. cap. 2. *Britones quidam latine nominatos suspicantur eo quod bruti sint.* Junguntur uti nostro loco ita apud Juvenalem XV, 124. Britones Cimbris: *nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam.*

5. Neapolitanos dicit et Florentinos, omnium hominum maxime paedicandi libidini deditos, vinci in

Sic qui forte manes semel inclinaverit, idem

---

hoc genere a Gallis ceterisque populis septentrionalibus, ubi semel illis contigerit degustare voluptatem, a qua alias soleant abborrere vehementissime. Causam vero, propter quam et Itali et Hispani tantopere delectentur paedicando, aliquatenus aperuit Aloisia Sigaea in Satira sotadica p. 304 — 306. exempli 1678 editi. *Nunc*, inquit, *omnium maxime hominum Galli odio insuetae Veneris flagrant. Quos polluit, ultricibus purgant flammis. Ferri aciem sufficere non putant ulciscendae castitati. Mirantur Itali et Hispani. Nam satius est, de populis sub Mahometis jugo depressis non dicere. Gallos et qui ad septentrionem vergunt stupidi dicunt esse ad voluptatem sensus. Sincerum ut sibi voluptatis inesse gustum negant. Nimirum nos feminae acuimus ipsae in nos virorum nostrorum ingenia ad voluptatem alio investigandam, quam vix et ne vix quidem inveniunt in nobis plenam et solidam. Patentiora sunt nobis Italis Hispanisve, quis neget? Veneris ostia. Non Veneri facere, qui peculiatus vasatusque ultra modum non sit, sed dixerit in porticibus amplis jaculo ludere. Quae facile admittit ineuntem, minuit concha voluptatem. Comprimi, exsugi gaudet mentula; si liberius spatietur, male habet. At in aversa Venere se res commodius habet. Difficilis ingressus irrumpenti mentulae, et cum irrumpit, locum non implet modo, sed disrumpit.*

Haud facinus coeptum destituisse potest.

Dehinc nulla stadii capacitas, nisi quam velit cursor. Accommodat ultro se hospitium hospiti, musculi ut contenduntur, ut laxantur. Vulva vero cum semel aperta horribili hiatu ars nulla, mulieris nullus aut situs aut motus faciet unquam, quin laxa, quin aperta horribili hiatu pateat miserabili mentulae ad contumeliam concubitus. Hinc amatores turpis delicii apud nos multi, ex adverso apud Gallos Germanosque pauci. Nam sub septentrionibus non ita feminae lati fundi sunt. Frigore restringuntur membra omnia quasi concreta. Ideo cum habeant omnia in legitimo mulierum censu, quae voluptati favent, quid expeterent ultra, quod illis in penu est? Sane qui apud nos peculii laude praedicantur bene mutoniati, nec paedicantur, nec paedicant. Hactenus Aloisia Sigaea, vel potius, qui sub nomine virginis latere creditur, Nicolaus Chorerius.

7. 8. Ultimum distichon in exemplo Parisiensi hoc loco non legitur, sed subjungitur infra carmini XXII. ubi cum tolerari prorsus nequeat, videtur nescio quo casu sede propria motum in alienam aberrasse. Jam cum in universo Hermaphrodito epigramma reperiatur nullum, cui aptius possit subnecti, quam nostrum, huic restituendum putavi. — Inclinari cum soleant cinaedi a paediconibus, ut commodior corporis situs reddatur, per euphemismum *inclinare* dictum est pro *paedicare*,

XIV.

IN LENTULUM MOLLEM, ELATUM ET POSTREMAE TURPITUDINIS VIRUM.

Solus habes nummos, et solus, Lentule, libros,
Solus habes pueros, pallia solus habes,
Solus et ingenium, cor solus, solus amicos,
Unum si demas, omnia solus habes.

---

ut *concumbere* pro *futuere:* Juven. IX, 26. *solebas ipsos etiam* inclinare *maritos.* Idem X, 224. *quot discipulos* inclinet *Hamillus.* Simile est *incurvare.* Martialis XI, 44. incurvabat *Hylam posito Tyrinthius arcu.* Incurvari etiam feminae dicuntur ab iis, qui futuunt legitime quidem, sed aut propter ventris obesitatem, aut variandi libidinem, pone, non ante. Luxorius in Anthologia Burmanni secundi tomo II. p. 592. *Zelotypus plures* incurvat *clune puellas.* Nec alio modo bellissimus ille pusio Apuleji Metamorphos. libro IX. p. 220. fefellit maritum: *at vero adulter, bellissimus ille pusio,* inclinatam *dolio* pronam *uxorem fabri superincurvatus secure dedolabat.*

Hoc unum est podex, quem non tibi, Lentule, solus,
Sed quem cum populo, Lentule mollis, habes.

XIV.

6. Dives erat Lentulus, et tamen mollis seu pathicus. Neque enim pathici tantum mercede conducebantur ad Venerem aversam patiendam, sed etiam paedicones ad laborem paedicandi suscipiendum. Ad hoc conduxerat Virro Naevolum, quem de avaritia domini computantis et ceventis festive conquerentem proposuit Juvenalis IX, 42 — 46.

Numerentur deinde labores.
An facile et pronum est agere intra viscera penem
Legitimum, atque illic hesternae occurrere coenae?
Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,
Quam dominum.

Consolatur vero poëta hominem tristem et cum fato expostulantem, nil facere longi mensuram incognitam nervi, versiculo 130.

Ne trepida; nunquam pathicus tibi deerit amicus.

Ceterum fere ad verbum hoc epigrammate expressit noster Martialeum 26 libri tertii.

XV.

AD LEPIDINUM RESPONSIO, ET QUARE URSUS CAUDA CARET.

Accipe ridiculam, dulcis Lepidine, fabellam,
Et quae quod poscis dissoluisse queat.
Fertur ab horticola divam quaesisse Priapo,
Seu Venus in dubio est, seu dea Flora fuit,
Cur, quum velentur quasi quaeque animalia cauda,
Ursus non cauda membra pudenda tegat.

XV.

Bandinus in epigraphe *Lepidium;* mendose.

2. Amat noster more Tibulli perfectum infinitivi ponere pro praesente, vide supra XIII, 2. 8. infra XVII, 20. XXX, 12. XXXVIII, 23. 24. et libro secundo VI, 16. 36. XIII, 20. XXV, 10. 13. item Append. II, 18. Quaesierat Lepidinus epigrammate 13. cur qui semel paedicare coeperit, haudquaquam desistat. Jam respondet auctor, idemque novo paediconi dicit contingere, quod urso, qui ubi primum mellis dulcedinem gustaverit, caudae maluerit jacturam facere, quam de cibo dulcissimo moveri.

Ille refert, escam cupide dum quaereret ursus,
In tempestivos incidit ille favos,
Nec comedit primum, licet ipse famelicus esset,
Quandoquidem merdas credidit esse favos.
At stimulante fame mox haeret, libat et instat,
Mel sapit, et tandem non edit, immo vorat.
Rusticus advortit, properat, strepit; ursus obaudit.
Rusticus is custos mellis et Argus erat.
Denique robusti cauda subnititur ursi;
Et trahit, ille novo non trahit ora cibo.
Pauperiem timet hic, timet hic de melle moveri,
Ille suo perstat proposito, ille suo.

---

13. *Obaudit*, id est non audit. Nostrates überhören. Alanus libro VI. Anti-Claudiani cap. 2. *Ergo minis, precibus, pulsu, clamore soporem expugnare parat, sed talis somnus* obaudit. Angel. Pechinolius in literis de sua legatione Hungarica ad Innocentium VIII. pontif. max. *ostendit sua majestas dudum binas literas Soldani in Arabico et Turco sermone scriptas, et modeste a me pulsa quid literae dicerent, velut* obaudiens *alio sermonem divertit.* Haec quidem ex Cangianis thesauris, ut superiora de vegete.

Verum adeo trahit, adeo hic contrarius obstat,
Manserit ut stupida cauda revolsa manu.
Hic deus hortorum, dum subdere plura pararet,
Arrigit, et pepulit mentula tenta deam.

XVI.

LAUS ALDAE.

Aldae oculi legere domum Charitesque Venusque,
Ridet et in labiis ipse Cupido suis.
Non mingit, verum si mingit balsama mingit;
Non cacat, aut violas si cacat Alda cacat.

XVII.

AD CORYDONEM,

ARDENTEM QUINTIUM, TURPEM ET DEFORMEM PUERUM.

Quintius is Corydon, quem vesanissime flagras,
Siccior est cornu, pallidiorque croco.

XVII.

Bandinus *turpem* et *deformem puerum.* In

Aridus in venis extat pro sanguine pulvis,
Deque suo gracili corpore sudor abest.
Aethiopi perhibent gens concubuisse parentem,
Atque ideo gnatos edidit illa nigros.
Si risum elicias, rictum inspicies sibi, qualem
Prodit in aestivo tempore cunnus equae.
Si buccam olfacias, culum olfecisse putabis,
Verum etiam culus mundior ore suo est.
Mentula perpetuo tibi quam contracta jacebit,
Tu sibi dumtaxat basia fige semel.
I procul hinc, Quinti, foedum putensque lupanar,
Atque alio quovis ista venena feras.
Quis numeret, quot hians absorpserit inguina podex,
Quot naves Siculo littore Scylla voret?

Parisiensi exemplo deest *et*. Conferas omnino carmen sextum libri posterioris.

8. Catull. XCVII, 7. 8.

Praeterea rictum, qualem diffissus in aestu
Mejentis mulae cunnus habere solet.

10. Catull. XCVII, 4. *verum etiam culus mundior et melior* (ore Aemilii).

12. Parisiensis *finge*, quod emendavi.

Ipse palam patitur, pudet heu, muliebria cuivis,
Ipse palam tota prostat in urbe puer.
Qui puerum hunc igitur quit paedicare, profecto
Is poterit rigidas supposuisse feras.

XVIII.

IN HODUM MORDACEM.

Hodus ait nostram vitam non esse pudicam;
E scriptis mentem concipit ille meis.
Non debet teneros Hodus legisse Catullos,
Non vidit penem, verpe Priape, tuum.
Quod decuit Marcos, quod Marsos, quodve Pedones,
Denique quod cunctos, num mihi turpe putem?

---

20. Catull. LXIX, 2. *velit tenerum* supposuisse *femur*. Ovid. Amor. III, 7, 10. *lascivum femori* suppositque *femur*.

XVIII.

6. Martialis in praefatione libri primi Epigrammatum: *lascivam verborum licentiam excusarem, si*

Me sine cum tantis simul una errare poëtis,
Et tu cum vulgo crede, quid, Hode, velis.

XIX.

AD BAPTISTAM ALBERTUM, DE URSAE LUXURIA.

Comis es, et totus pulcer totusque facetus,
Litteribus totus deditus ingenuis,
Atque Albertorum claro de sanguine cretus
Nec morum quisquam est nobilitate prior.
Quum placeas cunctis raris pro dotibus, idem
Tu mihi pro vera simplicitate places.
Veridicus cum sis et apertae frontis amicus
In parili nostro casmate dic quid agas.
Si mihi sint epulae totidem, quot in alite plumae,
Uno luxuriens has edet Ursa die.

---

meum esset exemplum. Sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Gaetulicus, sic quicunque perlegitur.

XIX.

Bandinus dat in epigraphe *Albertinum.*

2. *Litteribus* per nimiam fere licentiam poëticam.

8. *Casmate* audacter pro *casu.*

Si mihi sint totidem vegetes, quot in aequore pisces,
Uno subsitiens ebibet Ursa die.
Si mihi sint totidem loculi, quot littore arenae,
Hos omnes uno depleat Ursa die.
Si mihi sint totidem libri, quot in aëre pennae,
Hos omnes uno foenerat Ursa die.
Si mihi sint totidem penes, quot in arbore rami,
Hos omnes uno sorbeat Ursa die.
Denique si nasis essem, Baptista, refertus,
Hos foetore omnes imbuet Ursa die.

XX.

AD QUINCTIUM, QUOMODO POSSIT ARRIGERE.

Ad non dilectas, Quinti, tibi mentula tenta est,
Si tibi jucunda est, non potes arrigere.

---

20. *Hos* non dubitavi scribere pro *hoc*, quod dederat Parisiensis.

XX.

Martial. epigr. 76. libri III.

Arrigis ad vetulas, fastidis, Basse, puellas,
Nec formosa tibi, sed moritura placet.

Qui vult posse, suum digitos intrudat in anum;
Sic perhibent Helenae consuevisse Parim.

XXI.

EPITAPHIUM HORJECTAE, SENENSIS PUELLAE BELLISSIMAE AC MORATISSIMAE.

Postquam marmoreo jacet hoc Horjecta sepulcro,
Ipsa deum credam numina posse mori.
Non fuit absimilis forma aut virtutibus ipsis
Coelitibus, Senae gloria magna suae.
5 Heu heu non probitas, species aut unica quemquam
Abs inclementi demere morte potest.

Hic, rogo, non furor est? non est haec mentula demens?
Cum possis Hecubam, non potes Andromachen.

XXI.

Editum fuerat hoc epitaphium jam ante Mercerium non modo in Veneto libro, ubi carmen est XXV, sed etiam in tomo secundo Carminum illustrium poëtarum Italorum, Florentiae anno 1719 octonis excuso, p. 109.

Quodsi clara deos faciat mortalia virtus
Corpora, si coelum simplicibus pateat,
Non dubitem, per vim modo non sibi jura negentur,
Dejiciet supera sede puella Jovem.

XXII.

EPITAPHIUM BAPTISTAE VIRGUNCULAE, SORORIS HORJECTAE.

Hic tumulus longe tumulo felicior omni
Baptistae auricomae virginis ossa tegit.
Dulciter haec agili pulsabat cymbala dextra,
Movit et artifices saltibus apta pedes.

---

9. Editor Venetus *dubito*, sed Florentinus stat a Parisiensi.

10. Sic versiculus ultimus legitur apud Florentinum et Parisiensem. Venetus more suo emollivit:

Quin magno assideat casta puella Jovi.

XXII.

Et hoc epitaphium Venetus editor recepit eique locum XXVI. inter carmina adsignavit. Insertum quoque legitur tomo secundo Florentino Carminum illustrium poëtarum Italorum p. 109. 110.

4. Venetus et Florentinus *apta*, Parisiensis *ipsa*.

Omnibus et cantu plus quam Philomela placebat,
Matre quidem pulcra pulcrior illa fuit.
Indolis egregiae minimo pro errore rubebat,
Sparsa rubore placens, fusa rubore decens.
Quum satis haec fecit naturae luce suprema,
Transierat vitae vix duo lustra suae.

XXIII.

AD MATTHIAM LUPIUM, GRAMMATICUM.

Annua publicitus tibi larga pecunia, Lupi,
Solvitur; et pueris quot legis ipse? tribus.

---

5. Parisiensis *Philomena*, vitiose.

10. Post versum decimum additur a Parisiensi distichon hoc:

Sic qui forte manes semel inclinaverit, idem
Haud facinus coeptum destituisse potest.

Deest illud apud Venetum et Florentinum, et sane est ab epitaphio nostro alienissimum. Videtur huc migrasse, nescio quo casu, ex epigrammate superiore XIII, cui restituendum duxi.

XXIII.

Est epigramma Venetum XX.

2. Venetus *quod legis ipse tribus.* Simile est epigramma XVI. libri posterioris. Martialis X, 60.

Jura trium petiit a Caesare discipulorum
Assuetus semper Munna docere duos.

XXIV.

IN EUNDEM LITTERARUM IGNARUM.

Inde tui libri sunt, inde scientia, Lupi.
Qui non desipiat, mallet habere libros.

XXV.

AD MINUM, QUOD LIBELLUM CASTRARE NOLIT.

Mine, mones nostro demam de carmine penem,
Carmina sic cunctis posse placere putas.
Mine, meum certe nolim castrare libellum,
Phoebus habet penem, Calliopeque femur.

XXIV.

Et hoc epigramma Venetus editor recepit, et loco quidem XXII.

1. Parisiensis *sint*, Venetus *sunt*. Forsan pro priore *inde* autor scripsit *unde*.

XXVI.

IN MATTHIAM LUPIUM PAEDICONEM.

Ergo tua, Lupi, si pascitur Hisbo culina,
Cur non obsequitur jussibus ille tuis?
Etsi grammatica instituas hunc arte magister,
Cur tibi dat tenera verbera crebra manu?
Nescio Tiresiae sortes, nec haruspicis artes,
Sed conjectura hoc et ratione scio.

XXVII.

AD SANCTIUM BALLUM, VERSUUM SUORUM CULTOREM.

Sancti, nugarum lector studiose mearum,
Cui plus quam satis est nostra Camena placet,

XXVI.

Martialis III, 71.

Mentula cum doleat puero, tibi, Naevole, culus:
Non sum divinus, sed scio, quid facias.

Simile est carmen LXXX Catulli.

XXVII.

Est carmen VII libri Veneti.

1. Nugas vocat epigrammata sua, parum severa, praeeunte Martiale IX, 1. X, 17.
2. Pro *Camena* Venetus dat *Thalia*. Martialis VII, 45. *et tua de nostro, Prisce, Thalia placet.*

Desine mirari versus, quos inter edendum
Edimus, aut hora carmina lusa brevi.
Testis es, ut, quum jam versu defixior essem,
E digitis calamos subtrahat Ursa meis,
Carmina, jam gnosti, strepitu persaepe foroque
Condita sint medio, qualiacunque legis.
Quum platea dubius peterem verbumque locumque,
Factus sum monitu certior ipse tuo.
Verum adeo longe me diligis, ut tibi vatis
Thraicii videar concinuisse lyra.
Si qua tamen nostrae dederit sors otia pennae,
Et me tranquilla scribere mente sinat,
Est animo, versus, quos nulla obliteret aetas,
Conficere, ingenii mi mihi vana fides.
Interea felix et amans, mi Balle, valeto,
Fiant et Parcae ferrea fila tuae.

---

8. Pro *sint* malim *sunt*.

9. 10. Venetus omittit distichon quintum.

12. Venetus *Thraeicii videar continuisse lyram.*

16. Ovid. Trist. IV, 10, 128. 29.

In toto plurimus orbe legor,
Si quid habent igitur vatum praesagia veri.

Et tua crudelis deponat Masia fastus,
Atque utinam felix, compatriota, vale.

XXVIII.

LAURIDIUS AD AUCTOREM DE FLAGRANTISSIMO AMORE SUO.

Me vexat Perusinus amor, vincitque Senensem,
Heu capit, heu vexat me Perusinus amor.
Collibeat summo proles Perusina tonanti,
Grata foret superis stirps Perusina deis.
Carolus insignis forma natoque decore
Me tenet, et tenero sub pede colla premit.

XXIX.

AD LAURIDIUM RESPONSIO DE AMORE SUO.

Ut lubeat Perusinus amor te verset et angat,
Me mea Senensis Lucia nympha capit.

---

19. Ovid. Remed. amoris 511. *jam ponet fastus, cum te languere videbit.*

20. Venetus *Atque iterum felix, dulcis amice, vale.*

Gens tibi gensque Jovi placeat Perusina superno,
Me mea dumtaxat nympha Senensis amet.
Nil mortale tenet, divas et moribus aequat
Et specie, et Jovis haec digna rapina foret.

XXX.

SENA CIVITAS ETRURIAE LOQUITUR, ET JOVEM ORAT, UT SALTEM SIBI NYMPHAM SERVET MORTALITATIS EXPERTEM.

Jupiter omnipotens et clementissime divum,
Exaudi fundit quas tua Sena preces.
Justa precor, justas audi, justissime, voces
Urbis, et oh miserae commiseresce, deus.
Postquam me affligi tantorum morte virorum
Et nuruum placuit, vivat alumna precor.

XXX.

Est carmen V libri Veneti.

4. Venetus *commiserere.*

6. Venetus *Est visum, at saltem vivat alumna precor.*

Vivat alumna precor, quam scis prolixius unam
Mater amem, stabile est matris alumna decus.
Nympha diu superet, patriae faustissima proles,
Est honor et dos, spes, gloria, fama mei est.
Ut peritent cuncti, et maneat modo nympha superstes,
Damna potest patriae restituisse suae.
Si vivit, mecum est virtus, victoria, mos, pax,
Nobilitas, et cum nobilitate salus.
Si migrat, sane cuncta haec et plura peribunt,
Mors sua mors nobis omnibus acris erit.
Non amor, aut cultus, nec erit jocus ullus in urbe,
Plausus, nec risus, laeta nec ulla dies.
Gymnasium pariter solvetur, gloria Senae,
Quod mea jucundo lumine nympha tenet.

---

10. Venetus *Et decus, et laudis gloria prima meae.*
11. Venetus *cuncti, maneat,* omisso *et.*
16. Venetus *acer erit.*

Credite vos superi, celebris curate puella
Vivat, longaevo est digna puella die.
Dii deaeque iterum moneo, servate puellam,
Et sinite Etruria stet decus urbe suum.
Credite, si nigrae truncent sua pensa sorores,
Ingens coelicolis pugna deabus erit.
Suscipiet siquidem coelestis regia nympham,
Atque opus est proprio cedat ut una polo.
Aut sibi promeritae decimum statuetis Olympum,
Nympha quidem coelo est Lucia digna novo;
Aut pellat quamvis propria de sede necesse est,
Digna quidem coelo est Lucia nympha suo.
Dicite vos, coelum si pro virtute secutae
Sitis, una illa poli munere digna mage est?

---

28. Ven. *Atque opus est primo cedat et una loco.*

29. Ven. *Aut si promeritae.*

30. Venetus *Nympha quidem coelo est Lucia nympha suo. Dicite vos, coelum si p. v. s.* omissis propter ὁμοιοτέλευτον *digna novo, aut pellat quamvis propria de sede necesse est, digna quidem coelo est.*

34. Ven. *Sitis, an ulla poli.*

Nulla fuit vestrum, veniam date, purior illa,
Moribus, ingenio vel pietate prior.
Denique centenos operam date victitet annos,
Neu cedat vestris mors sua forte malis.
Ergo simul, divae, mecum exorate tonantem,
Ut praestet nymphae tempora longa meae.

XXXI.

AD COSMUM FLORENTINUM, VIRUM CLARISSIMUM.

Quam modo sensisti si non tibi grata fuit vox,
Cosme, nihil miror; Sena loquuta fuit.

XXXI.

Apud Venetum est carmen VI.

1. Venetus *Quae modo legisti si non tibi grata fuere.*
2. Sena Florentinis invisa propter rixas fere perpetuas.

XXXII.

EPITAPHIUM CATHARINAE, PUELLAE ORNATISSIMAE.

Hoc jacet ingenuae formae Catharina sepulcro.
Grata fuit multis scita puella procis.
Morte sua lugent cantus lugentque choreae,
Flet Venus, et moesto corpore moeret Amor.

XXXIII.

IN MAMURIANUM TUSCUM PENISUGGUM.

Tuscus es, et populo jucunda est mentula Tusco;

XXXII.

Carmen Venetum XXVII.

XXXIII.

Bandinus *penisuggium*. Mamurianum paedicbnem notavit Martialis I, 93. pathicum notaverat Antonius supra epigrammate XII. Nostro autem loco Mamurianus carpitur fellator. Nam penem sugere est fellare, quemadmodum penem ori ad fellandum immittere irrumare. Multus est in miro isto Veneris genere Martialis. Fellabant non tantum feminae, ut Lesbia, Lyris, Chione, Thais, Ae-

Tusculus et meus est, Mamuriane, liber.

---

gle, Vetustilla, Rufa: Martial. II, 50. 73. III, 88. 87. IV, 5o. 85. I, 95. II, 28. Catull. LIX. sed etiam viri, ut Zoilus, Linus, Gaurus, Gellius: Martial. III, 82. XI, 31. VII, 9. II, 89. Catull. LXXX. Fellatores dicuntur mentulam *lingere*: Mart. VII, 54.

> Lingas *non mihi, nam proba et pusilla est,*
> *Sed quae de Solymis venit perustis,*
> *Damnatam modo mentulam tributi.*

Idem III, 88. *sunt gemini fratres, diversa sed inguina lingunt.* Vult, alterum esse fellatorem, alterum cunnilingum. *Lambuntur* quoque viri a fellatoribns apud Martialem II, 61.

> *Cum tibi vernarent dubia lanugine malae,*
> Lambebat *medios improba lingua viros.*

Et ne dubites, quid sibi velit, mox addit:

> *Haereat inguinibus potius tam noxia lingua,*
> *Nam cum* fellaret, *purior illa fuit.*

Idem III, 81.

> *Haec debet medios* lambere *lingua viros.*

Catullo *vorantur* inguina a fellatore: LXXX, 5. 6.

> *An vere fama susurrat,*
> *Grandia te medii tenta* vorare *viri?*

Substantivum obscenum supprimit hic Catullus, ut Martialis in illo VI, 54. *tantos et tantas Sextilianus amat.* Simile ejusdem III, 68.

> *Sed aperte nominat* illam,
> *Quam recipit sexto mense superba Venus;*

Attamen e nostro praecidam codice penem,

Custodem medio statuit quam villicus horto,
Opposita spectat quam proba virgo manu.

Priap. V.

Totamque hanc sine fraude, quantacunque est,
Tormento citharaque tensiorem
Ad costam tibi septimam recondam.

In his mentulam intelligi nemo non videt. At male habuit viros doctos suppressus cunnus Priapeii XI.

Quaedam haud junior Hectoris parente,
Cumaeae soror, ut puto, Sibyllae,
Aequalis tibi, quam domum revertens
Theseus reperit in rogo jacentem,
Infirmo solet huc gradu venire,
Rugosasque manus ad astra tollens,
Ne desit sibi mentula rogare.
Hesterna quoque luce dum precatur,
Dentem de tribus exscreavit unum.
Tolle, inquam, procul, ac jube latere
Scissa sub tunica stolaque russa,
Ut semper solet, et timere lucem,
Qui tanto patet indecens hiatu,
Barbato macer eminente naso,
Ut credas Epicuron oscitari.

Pro deum atque hominum fidem, non dentem vetulae jubet Priapus tolli, latere sub tunica, et timere lucem, ut somniant interpretes. Quid enim ad vetulam, ne desit sibi mentula rogantem, dens sub tunica exulare jussus? et sub tunica quidem ut semper solet? Immo cunnum aniculae pru-

Praecidat simulae, Mamuriane, jubes.

---

rientis vult Priapus procul abesse a conspectu suo, latere sub tunica scissa (nam tunicae puellarum tolli consuetae non solent esse scissae) et fugere lucem more suo, diu enim desuevit nudari mutonibusque peti. Neque aliud est nisi cunnus aniculae, qui tanto patet indecens hiatu, barbato macer eminente naso, ut credas Epicuron oscitari. Audias Martialem Laufejae cunnum III, 72. simili acrimonia pingentem:

Aut infinito lacerum patet inguen hiatu,
Aut aliquid cunni prominet ore tui.

Et ne nimis licentiosum tibi videatur, faciem philosophi conferri cunno, audias eundem Martialem in Vetustillam invehentem III, 93.

Senemque Cynicum vincat osseus cunnus.

Vide etiam, num id quod apud Martialem ore cunni dicitur prominere, et in Priapeio nasus eminens cunni, idem sit, cui callidus aliptes digitos impressit apud Juvenalem VI, 421. 22.

Callidus et c r i s t a e *digitos impressit aliptes,*
Ac summum dominae femur exclamare coegit.

Igitur non erat quod Barthius, omisso substantivo deceptus, in Priapeio illo scripturam *timere lucem* contra fidem manu scriptorum librorum, atque etiam codicis Priapeiorum Coburgensis, papyracei illius quidem, et saeculo XV negligentius exarati, sed cum optimis fere consentientis, sollicitandam existimaret. Primo quoque versiculo confirmat

Nec prius abscindam, nisi tu prius ipse virilem
Promittas demptam suggere nolle notam.

XXXIV.

AD AMILIUM PAEDICONEM

Hunc paedicato, qui portat, Amile, tabellam,
Et referas, quae sit pulcra tabella magis.

---

codex Coburgensis scripturam meliorum librorum *quaedam junior*, quae vitiosa quidem est, ita tamen ut facile intelligatur, genuinam fuisse *quaedam haud junior*, neque scripturam aliorum codicum *quaedam senior* aliunde natam esse, nisi ex ingenio hominis, qui, cum librarius nescio quis, oscitanter praetermisso *haud*, scripsisset *quaedam junior*, ineptias nollet describendo propagare, et emendandum putaret *quaedam senior*, recte quidem ad sensum, at repugnante metro. Miror conjecturam Josephi Scaligeri suadentis *quaedam serior* viris doctis placere potuisse. Uti enim maturiorem et juniorem esse quam maxime distant, ita seriorem esse et seniorem sunt longe diversissima.

6. Priap. 66. *tu quae ne videas* notam virilem *hinc averteris.*

XXXIV.

Amillum quendam cinaedum, qui tamen maluit videri paedico, pungit Martialis VII, 61. Juvenalis quoque X, 224. mordet Hamillum quendam, discipulos inclinantem.

XXXV.

DE VILLICO STULTO, ALDAM BASIANTE.

Porticus ingentem facie dum sustinet Aldam,
Villicus incautae basia rapta dedit.
Hunc vulgus stolidum credit, sed stultius illo est
Vulgus. Me miserum, quam bene, stulte, sapis!
Quum liceat stultis impune suavia nymphae
Figere, dii facerent, stultus ut ipse forem.

XXXVI.

IN MATTHIAM LUPIUM PAEDICONEM.

Lupius indoctum dum paedicaret ephebum,
Dixit, io clunes, dulcis ephebe, move.

XXXV.

1. *Porticum* dicit, quem *portitorem* dicere debebat.

XXXVI.

Paediconem abest ab epigraphe Bandini.

Hic ait, id faciam, verbo si dixeris uno;
Ille refert: ceve, diximus, ergo move.

---

4. *Cevere* est nates et femora subsultim movere. Ars est pathicorum, ut voluptas paediconum frictu augescat. Martialis III, 95. *sed paedicaris, sed pulchre, Naevole, ceves.* Juvenal. IX, 40. de molli avaro: *computat et cevet.* Hanc artem nondum satis didicerat ephebus Lupii, unde dicitur *indoctus.* Doctior erat ille, de quo Tibullus ad Priapum 21. 22. 23.

Nec tibi tener puer
Patebit ullus, ingemente qui toro
Juvante verset arte mobilem natem.

Uti cevere est virorum, ita crissare feminarum. Etiam ars crissandi usu discitur. Didicerant Helena et Mathildis, meretrices Florentinae, de quibus infra libro secundo XXXVII, 13. 14.

Occurret tibi flava Helene, dulcisque Mathildis,
Docta agitare suas illa vel illa nates.

Didicerat Pitho, ibidem versu 23. *te quoque conveniet crissatrix maxima Pitho.* Didicerat Tullia magistro Callia in Satira sotadica Aloisiae p. 73. *Jubet Callias, propellam sursum versus hunc corporis truncum; propello. Jubet rem repeti violento impetu; obsequor. Quid plura? mobiliores mihi nates effecit, quam ipse haberet. Ut me videt satis doctam, rogat, ut ne meis lateribus paream. Concutit vehementer, resilio vehementius ego. Subsultibus conquatio subigentem. Totis ut me viribus*

XXXVII.

EPITAPHIUM SANZII LIGORIS, BELLI AC DOMI PRAECIPUI.

Temporibus luteis in me Romana refulsit
Virtus prisca domi militiaeque simul.

---

urgebat, ita totis ego viribus recutiebam in me ruentem. Subabam ego, cevebat ille, et crissantibus inguinibus mixti videbamur minari cubiculo ruinam. Audias et Lucretium hac de re scite philosophantem IV, 1263 — 1272.

Nec molles opus sunt motus uxoribus hilum.
Nam mulier prohibet se concipere atque repugnat,
Clunibus ipsa viri Venerem si laeta retractat,
Atquc exossato ciet omni pectore fluctus.
Eicit enim sulci recta regione viaque
Venerem, atque locis avertit seminis ictum.
Idque sua causa consuerunt scorta moveri,
Ne complerentur crebro, gravidaeque jacerent,
Et simul ipsa viris Venus concinnior esset,
Coniugibus quod nil nostris opus esse videtur.

Docet poëta philosophus, clunes vicissim tollendo et premendo, opus mentulae alternis ineuntis et exeuntis pro sua parte juvando, ventrem pectusque ad ictus nervi fluctuatim ita contrahendo et protendendo, ut medium corpus fere exosse videatur, efficere feminam, primum, ut gaudia viri adaugeantur, deinde et maxime, ut ipsa concipere prohibeatur. Averti enim jactum seminis suo

Nomen erat Sanzus, clara de stirpe Ligori;
Sarcophago hoc tegitur corpus, et umbra polo.

XXXVIII.

AD PONTANUM, POLLAM SEMIDEAM ARDENTEM, PRO QUA VEHEMENTER ORAT.

Si vacat, Aoniis o vir pergrate Camenis,
Accipe quod pro te lingua animoque precer.
Ut tibi dent annos superi, dignissimus aevo es,
Dignior est digno candida Polla viro.
5 Et tibi sit facilis tenera cum matre Cupido,
Dignior est tenerae Polla favore deae.
Et visens nullo possis, Pontane, videri,
Dummodo semidea tu videare tua.

---

loco, et propter hanc causam artem illam magis pertinere ad disciplinam scortorum, quam uxorum, quibus non opus sit timere turgentis verbera caudae.

XXXVII.

Est carmen Venetum XXVIII. Parisiensis et Venetus dant in titulo *Sanzii*, Bandinus *Sanzi*.

1. Venetus *laetis* pro *luteis*.

4. Venetus *polo est*.

Atque anus enervis, quae semper murmurat in te,
In fontes urnae pondere tracta cadat.
At via declivis fieri planissima possit,
Sentiat et gressus semper amica tuos.
Et si dulce canas, possit vox ipsa videri
Dulcior, et credat suavius esse nihil.
Inque dies crescat calor hic, et possit amare
Strictius hic illam, strictius illa virum.
Et tibi jam possit nymphe praeclara videri
Tyndaris, ac illi tu videare Paris.
Hispidus actutum queat exspirare maritus,
Ni deus hortorum vir sit, ut esse putas.
Sive sit ipse deus, seu non, tamen ipsa maritum
Te fingat, tecum seque cubare putet.
Et tibi contingat demum inclusisse labellis
Et linguam, et dominae sustinuisse femur.

XXXVIII.

10. *Fontes urnae* intellige de fundo urnae.

17. Parisiensis *nymphae*, pro quo dedi *nymphe*.

23. Ovid. Amor. II, 5, 57. 58. *tota labellis lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.* Idem ibidem III, 14, 23. *illic purpureis condatur lingua labellis.*

Si forte unanimis pro me, Pontane, precari
Atque vicem votis reddere forte velis,
Id precor adsidue, noctuque diuque precare,
Ut sit deformis nulla superstes anus.
Sit tibi nil mirum, si inculta et dissona mitto
In risu et medio carmina ficta joco.

XXXIX.

IN MALEDICUM.

Est qui me coram meque et mea carmina laudet,
Et me clam laniet meque meosque sales.
Obticeat, ni se laniavero clamve palamve,
Inque suas maculas ipse trilinguis ero.

Aloisia Sigaea p. 70. *tunc vibrat linguam in os meum, et eodem temporis puncto pilum adigit in perniciem meam.* Conferas infra appendicem II, 84.

24. Ovid. Amor. II, 4, 22. *culpantis cupiam sustinuisse femur.* Idem Amor. III, 14, 22. *nec femori impositum sustinuisse femur.* Simile illud Tibulli I, 9, 26. *sed femori conseruisse femur.*

XL.

AD CRISPUM, QUOD SUAS LAUDES INTERMISERIT RUSTICO CACANTE.

Arbor inest medio viridis gratissima campi,
Limpidus hinc constat rivulus, inde nemus.
Hanc avis adventat, pulcraque sub arbore cantat,
Lenitur sonitu lucus et unda suo.
Heic de more aderam, versus dictare parabam,
Adstiterat calamo Clio vocata meo.
Crispe, tuos coepi sanctos describere mores,
Quive vales prosa, carmine quive vales,
Utque tua summus sis civis in urbe futurus,
Ut meritum virtus sitque habitura suum.
Rusticus interea satur egesturus in herba
Se fert, contigua pallia ponit humo,
Mox aperit bracas, coleos atque inguina prodit,
Leniter et nudas verberat aura nates,
Inflectit genua, ac totum se cogit in orbem,
Imposuit cubitos crure, manusque genis,
Postera jam talos contingere crura videntur,
Se premit, et venter solvitur, inde cacat.

Tunc ex vocali ventosa tonitrua culo
Dissiliunt, strepitu tunditur omnis ager.
Excutior, calamus cecidit, dea cessit in auras,
Ad crepitum trullae territa fugit avis.
Deprecor, ut primas plantes, male rustice, vites,
Post modo sat sitiens non sua vina bibas,
Rustice, sulcatae summittas semina terrae,
Nec panem esuriens, nec miser esse queas.
Ergo vale, et tum cum concinna revertitur ales,
Jam pergam laudes scribere, Crispe, tuas.

XLI.

PRECES ORATUM MITTIT AURISPAM SICULUM, UT SIBI MARCUM VALERIUM MARTIALEM COMMODET.

De precibus pulcra Homeri fictio.

Preces, ut tradit Homerus, divae sunt, et puellae magni Jovis. Hae et claudae et

---

XLI.

Liber Venetus exhibet poëma sine praeloquio de precibus, brevius sic inscriptum: *preces praemittit*

lippae sunt, hisque Ἄτης praevenit, idem nocumentum, quae sanis ac validis pedibus constat, et longe anteit, nocens hominibus per omnem terram, Preces vero post sequuntur. Qui autem veneratur puellas Jovis prope venientes, maxime illum quidem juvant et rogantem exaudiunt. Qui vero eas adspernatur, ac dure repellit, orant abeuntes Jovem, uti hunc insequatur nocumentum, et damnatus det poenas.

---

ad Siculum, ut librum impetret. Locum ibi obtinet inter carmina octavum. Recepit etiam editor Florentinus Carminum illustrium poëtarum Italorum, tomo II. p. 110. verum et ipse sine praeloquio, cum epigraphe: *oratum mittit Aurispam Siculum, ut sibi Marcum Martialem commodet; alludit ad Homeri fabulam de Precibus.* Parisiensis editor dat praeloquium, ita tamen, ut titulus poëmatis sequatur praeloquium, inserto *igitur*: *preces igitur oratum mittit*, cetera, in quo habet secum consentientem Bandinum, non antecedat, quemadmodum a nobis concinnitatis gratia editum est. En hic ille est Homeri locus, ab Antonio fere ad verbum latine versus, Iliad. IX, 498 — 508.

Καὶ γάρ τε Λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
χωλαί τε, ῥυσαί τε, παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ,

Ite, Preces, natae magni Jovis, en praeit *Ἄτης*,
Ἄτης, quae vobis praevia monstrat iter.
Si multum validis nocumentum passibus anteit,
Ite citae, lippae, loripedesque Preces.
Ivit Ate, cuivis omnem nocitura per orbem,
Ite citae vestris gressibus, ivit Ate.

αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθ' Ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι.
ἡ δ' Ἄτη σθεναρή τε καὶ ἀρτίπος, οὕνεκα πάσας
πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν,
βλάπτουσ' ἀνθρώπους· αἱ δ' ἐξακέονται ὀπίσσω.
ὃς μέν τ' αἰδέσεται κούρας Διὸς, ἆσσον ἰούσας,
τὸν δὲ μέγ' ὤνησαν, καί τ' ἔκλυον εὐξαμένοιο·
ὃς δέ κ' ἀνήνηται, καί τε στερεῶς ἀποείπῃ,
λίσσονται δ' ἄρα ταίγε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι,
τῷ Ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ.

Quod edidi *maxime illum quidem* juvant *et rogantem exaudiunt*, est illud de mea quidem conjectura; nam Mercerius dedit *maxime illum quidem* vivere *et rogantem exaudiunt.* Vitium manifestum emendare non dubitavi ex Graeco *ὤνησαν*.

1. Parisiensis *natae*, Florentinus *gnatae*, Venetus *genitae*.

2. Parisiensis cum Florentino *nobis*, Venetus *vobis*.

3. Ven. et Florent. *anteit*, Parisiensis *anuit*.

5. Parisiensis *cuivis*, pro quo Venetus *velox*, Florentinus *cujus*. *Orbem* recepi ex Veneto, nam Parisiensis et Florentinus habent *urbem*.

Est Florentina celebris tellure poëta,
Quem numerat genitis Sicilis ora suis.
Illius ex lepido cantant Heliconides ore,
Illius ex digitis pulsat Apollo chelyn.
Non peperit Latium, non Graecia mille per annos
Eloquio similem vel probitate virum.
Illi ego non parvo jam pridem jungor amore,
Jam pridem nobis mutuus extat amor.
Hunc petite, hunc vigili vos offendetis in aede,
Cantantem altisonis regia gesta modis.
Hunc igitur magni Jovis exorate puellae,
Per si qua est scriptis fama futura suis,
Ut mihi concedat perrara epigrammata Marci;
Illa libens relegam, restituamque libens.
Si facilis, divae, coram venientibus extet,
Et meritus vobis exhibeatur honos,

---

7. Paris. *celebris tellure*, Florentinus *celeber tellure*, Venetus *celeber virtute.*

18. Paris. et Venet. *si qua*, Florentinus *si quam.*

19. Conferas epigramma XV libri secundi. Typis primum prodiit Martialis anno 1471.

21. Paris. et Florent. *extet*, Venetus *extat.*

Aeque adjutrices hunc exaudite rogantem,
Sitis et huic placidae, parque referte pari.
Quodsi vos nihili faciat dureque repellat,
Poscite confestim, turba repulsa, Jovem,
Hunc ut terribili nocumentum voce sequatur,
Et damnas poenas detque luatque graves.

XLII.

AD COSMUM, VIRUM CLARISSIMUM, DE LIBRI DIVISIONE.

In binas partes diduxi, Cosme, libellum,
Nam totidem partes Hermaphroditus habet.
Haec pars prima fuit, sequitur quae deinde secunda est.
Haec pro pene fuit, proxima cunnus erit.

---

23. *Aeque* recepi ex Florentino, nam Parisiensis dat *atque*, et Venetus *vos.*

25. Flor. *duraeque.*

28. In *damnas* consentit Florentinus cum Parisiensi, Venetus autem exhibet *merito.*

XLII.

Prius distichon profert Bandinus.

XLIII.

AD COSMUM, VIRUM CLARISSIMUM, QUANDO ET CUI LEGERE LIBELLUM DEBEAT.

Hactenus, o patriae decus indelebile, panxi,
Convivae quod post prandia, Cosme, legas.
Quod reliqui est, sumpta madidis sit lectio coena,
Sicque leges uno carmina nostra die.

XLIII.

In titulo hujus carminis, quod integrum operi suo inseruit Bandinus, exhibet ille *vel cui* pro *et cui.*

3. Martial. X, 19.

Haec hora est tua, cum furit Lyaeus,
Cum regnat rosa, cum madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

4. Ab hoc ultimo versiculo infit codex Coburgensis. Nam reliqua omnia libri prioris sunt ab imperita manu abscissa, quod intuenti cuique statim apparet.

HERMAPHRODITI
LIBELLUS SECUNDUS.

I.

AD COSMUM FLORENTINUM,

EX ILLUSTRI PROGENIE MEDICORUM VIRUM CLARISSIMUM, QUOD CIVILI JURI OPERAM DARE ET MERITO PERGIT, QUUM HAC TEMPESTATE NON SIT QUISQUAM REMUNERATOR POETARUM.

Cosme, vir Etrurias inter celeberrime terras,
Si sileas, videor velle videre tuum:

I.

Est carmen III libri Veneti. Exhibet etiam Florentinus editor Carminum illustrium poëtarum Italorum tomo II. p. 111. Nostra epigraphe est Parisiensis. Apud Bandinum distinguitur epigraphe libelli secundi ab epigraphe primi carminis: illa

Malles, posthabitis jamjam lusuve jocove
Clausissem forti strenua bella pede.
Ut tu magnanimus, sic et permagna cupiscis,
Hei mihi, sed nostro tempore Caesar abest.

Ejusdem Hermaphroditi libellus secundus ad Cosmum Florentinum, haec *Ad ipsum Cosmum Medicem, quod civili juri operam dare et merito pergit, quum hac tempestate non sit quisquam remunerator poëtarum.* Florentinus *Ad Cosmum Medicem*, reliqua ut Bandinus. Codex Coburgensis *Ad Cosmum virum clarissimum*, ceteris omissis. Venetus nil nisi *Ad eundem;* duo enim carmina Cosmo dicata praemisit, primum libri prioris, tricesimum tertium posterioris.

1. Parisiensis, Florentinus, codex Coburgensis consentiunt cum Bandino, qui quidem primum atque ultimum carminis versiculum excerpsit; Venetus autem *Cosme, vir Hetruscas inter celeberrimus urbes.*

2. Venetus *Quamvis nunc sileas, mens mihi nota tua.* Ceteri consentiunt.

3. Venetus *Malles posthabitis nugis lusuque jocoque.* Parisiensis et Florentinus faciunt cum codice Coburgensi, nisi quod Parisiensis dat *jocoque* pro *jocove.*

4. Venetus solus *Claudere me forti strenua bella pede.* Tibull. IV, 15, 4. *aut caneret forti regia bella pede.*

Hic tibi sit largo pro Caesare gloria dices;
Sed tales epulas non meus alvus edit.
Laurea sit cuivis, dum sit domus aurea nobis.
Auratam facient aurea jura domum.
Dant lites requiem, donant chirographa nummos.
Hoc lex dat, voces gloria sola dabit.
Haec alit, haec fatuas duntaxat inebriat aures,
Scilicet et venter carior aure mihi est.
Famaque quantalibet veniat post funera nobis,
Excipiam nullos mortuus aure sonos.

---

7. Parisiensis *heic*, reliqui *hic*.

8. Venetus contra reliquos omnes *Non tales epulas venter inanis amat.*

11. Pro *requiem* habet Venetus solus *nummos*. Codex Coburgensis *cirographa*, Venetus *cyrographa*, Parisiensis *chyrographa*, Florentinus *chirographa*. In arte quidem diplomatica quomodo distinguantur chirographa a cirographis, disce ex Systematis diplomatici Benedictinorum tomo I. p. 379. versionis Germanicae Adelungianae.

14. Omnes *venter* praeter codicem Coburgensem, qui mendose *ventus*.

Ergo sequor prudens leges ac iura Quiritum,
Prostituo prudens verba diserta foro.
Cum vacat officio legali, ludicra condo,
Dum bibo, quae nobis immeditata fluunt.
In mensa nequeunt heroum gesta reponi,
Non sunt implicitae proelia mentis opus.
Sit mihi Maecenas, claros heroas et arma
Cantabo, et nugis praefera bella feram.

II.

AD PUELLAS CASTAS.

Vos iterum moneo, castae nolite puellae
Discere lascivos ore canente modos.

---

18. Ovidius Amor. I, 15, 5. 6. *nec me ingrato vocem* prostituisse foro.

19. Venetus *regali* contra omnes.

21. Infra XXII, 3. *vel splendida facta* reponit. Propertius I, 17. *an poteris siccis mea fata* reponere *ocellis?*

24. Codex Coburgensis *perfera*, reliqui cum Baudino *praefera*. Ovid. Heroid. VIII, 25. 26. *nec turpe marito, aspera pro caro* bella tulisse *toro.*

II.

1. *Iterum* monet, nam respicit epigramma quartum prioris libelli. Ignoscite, castae puellae, Nasoni

Nil mihi vobiscum est. Vates celebrate severos.
Me Thais medio fornice blanda legat.

III.

LAUS ALDAE.

Si tibi sint pharetrae atque arcus, eris, Alda, Diana;
Si tibi sit manibus fax, eris, Alda, Venus.
Sume lyram et plectrum, fies quasi verus Apollo;
Si tibi sit cornu et thyrsus, Iacchus eris.
Si desint haec, et mea sit tibi mentula cunno,
Pulcrior, Alda, deis atque deabus eris.

---

maligne definienti Amor. I, 8, 43. *casta est, quam nemo rogavit.*

4. *Blande* cod. Coburgensis. At Parisiensis *blanda.* Infra XXIII, 5. *Nuper et hos abs me multa prece* **blanda** *poposcit.*

III.

1. Cod. Cob. *atque arcus*, Parisiensis *aut arcus.*

3. 4. Ovid. Heroid. XV, 23. 24.

Sume fidem et pharetram, fies manifestus Apollo;
Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

IV.

IN ALDAE MATREM.

Ut mihi tu claudis, mater stomachosa, fenestram,
Sic tibi claudatur cunnus, iniqua parens.
Id tibi erit gravius, caelebs videare licebit,
Quam tibi si coeli janua clausa foret.

V.

LAUS ALDAE.

Alda, puellarum fortunatissima, gaude:
Vincitur omnipotens igne Cupido tuo.

IV.

3. *Licebit* pro *licet.* Ovid. Trist. V, 14, 3. 4.

Detrahat auctori multum fortuna licebit,
Tu tamen ingenio clara ferere meo.

Martialis VIII, 21.

Stent astra licebit,
Non deerit populo te veniente dies.

V.

Est carmen X Venetum.

1. Paris. cum cod. Cob. *puellarum fortunatissima,* Venetus *puellarum tu formosissima.*

Alda deos omnes specieque et moribus aequat;
Sit minime mirum, si capit Alda deos.

VI.

AD PHILOPAPPAM, DEPERIENTEM STERCONUM, VIRUM TURPEM.

Ni te detineat Sterconus, scire volebam,
An stomachus peni sit, Philopappa, tuo.
Et stomachus certe talis, qui digerit Aetnam,
Albicat hiberna cum magis Aetna nive.

---

3. Parisiensis cum Veneto *specieque et*, codex Coburgensis *specie et*.

VI.

Parisiensis in titulo *Sterconium*, quanquam versu primo *Sterconus*. Cod. Cob. et in titulo *Sterconum*.

3. Paris. *et stomachus*, cod. Cob. *est stomachus*. Ille *digerat*, hic *digerit*. Ludit in ambiguitate stomachi.

4. Solemne est nostro *cum magis* ponere pro *cum maxime*. Infra VIII, 5. 6. *cum magis arrigis Ursae*, *cumve magis cupias*, *vulva repellet olens*. XIII, 12. *cum magis illa armis floruit aucta suis*.

Quid loquor in nebulis, qui non intelligor ulli?
Simpliciter dicam, quid, Philopappa, velim.
Est puer, hunc ardes, quin deperis; et puer ille
Sit tibi, ter decies qui nova musta bibit?
Jam pridem aegrotat; cur aridus instar aristae est?
Et dubites, vultus larva sit, an facies.
Quamvis ipse gula sit longus, quum tamen ossa
Proluit os, vellet guttur habere gruis.
Est sibi pro bello rubicundula tibia naso,
Et patula cerebrum nare videre potes.

---

5. Ovid. Trist. V, 10, 37. *Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.*

7. Paris. *puer ille*, cod. Coburg. *puer ille est.*

8. Paris. *sit tibi*, cod. Coburg. *si tibi.* Tum ille *busta*, hic *musta*.

11. Cod. Cob. *ossa*; Paris. *offa.* Intelligit osseam gulam vino madidam.

13. Paris. *est sibi*, pro quo in cod. Coburg. vitiose *est tibi.* Statim hic *rubicunda*, ille *rubicundula.*

14. Paris. *et*, cod. Coburg. *ex.* Ovid. Metamorph. III, 686. *acceptum* patulis *mare* naribus *efflant.*

Cruribus atque ano densorum sylva pilorum est,
Qua possit toto delituisse lepus.
Mentis multivolae est, venalis, potor edoque,
Diligit et tantum munera, more lupae.
Ille, ita me dii ament, sic est, aut turpior; at tu
Proh pudor! hunc plus quam viscera coecus amas.
Nescio quem vulgus dicat flagrasse lucernam;
Derisi quondam, sed modo vera putem.
Non erat in populo formosior alter Etrusco,
Non erat Italico gratior orbe puer.

---

17. Catull. LXVIII, 128. *praecipue multivola est mulier.*

18. Sic infra XXX, 22. Nichina lupa fatetur *praeter pretium nil mihi dulce fuit.*

19. Edidi ex conjectura *at tu.* Nam neque *ut tu* editoris Parisiensis, neque *aut tu* codicis nostri poterat tolerari.

21. Cod. Coburg. mendose *fragrasse*, Paris. recte *flagrasse.*

Coecus amor plerum mortalia pectora coecat,
Nec nos a falsis cernere vera sinit.
Cur edat ille fimum, vulpes quaesivit asellum;
Nam memini, dixit, quod fuit herba fimus.
Sic puto tu referes cuivis fortasse roganti,
Diligis hunc ideo, quod tener ante fuit.
Coecus es, et credis me cassum lumine coram
Sterconum eximiis laudibus usque ferens.
Crura licet pueri bombycea lautaque dicas,
Crura tamen siccae pumicis instar habet.

---

25. Codex noster *pierum*, Parisiensis *plerum*, id est plerumque.

26. *Cernere* pro *discernere*.

34. Paris. *siccae*, cod. Coburgensis *sicci*. Catullus I, 1. 2.

> *Cui dono lepidum novum* libellum
> Arida *modo* pumice *expolitum*?

Pro *habet* in codice Coburg. perperam scriptum est *habent*.

Jam modo crediderim, te verpum posse Priapum
Scilicet et Lybicas accubuisse feras.
Immanem ergo fovet stomachum, tua mentula, verum
Nil videt, usque oculos ederit illa suos.

---

35. Catullus XLVII, 4. verpus *praepositit Priapus ille.* Supra libro priore XVIII, 4. *non vidit penem,* verpe *Priape, tuum.*

36. Codex Cob. *silicet,* qua scriptura semper utitur librarius pro *scilicet;* sic I, 14. XXVII, 6. Append. II, 49. Convenit illud Tibulli I, 10, 75. 76.

> *Huic tamen accubuit noster puer, hunc ego credam*
> *Cum trucibus Venerem jungere posse feris.*

37. Priap. LXXVII, 5. *immanem stomachum mihi videtis.* Martial. III, 76. *non est haec mentula demens?*

38. Paris. *usque*, codex noster *utque*, non *ut quae*, nam pro *quae* librarius solet alio uti compendio. Martialis IX, 38.

> *Promittis sexcenta tamen, sed mentula surda est,*
> *Et sit lusca licet, te tamen illa videt.*

Lusca est mentula, quia unum foramen pro oculo habet. Hinc illud ejusdem II, 33. *te qui basiat, hic, Philaeni, fellat.* Dixerat enim, Philaenim calvam, rufam, luscam caput mentulae tentae prae se ferre.

VII.

AD AURISPAM DE URSAE VULVA.

Ecquis erit, vir gnare, modus, ne vulva voracis
Ursa testiculos sorbeat usque meos?

VII.

Joannes Aurispa Siculus, Graecis literis et Latinis doctus, orator et poëta clarus, floruit priori parte saeculi quinti decimi. Idem ab epistolis Eugenii IV pontificis Romani. Convertit etiam Graeca quaedam in Latinum, praecipue Hieroclis, philosophi saeculi quinti, commentarium in aurea carmina Pythagorae, quem e manu scripto codice a se emto Latine translatum Romanoque pontifici Nicolao V dicatum primus edidit anno 1474. Conferas quae supra in Testimoniis ex Jano Brukhusio attulimus de Aurispa.

1. Paris. *ecquis*, codex Cob. *et quis*. Ille *gnare*, hic *gnave*. Catullus XXXIII, 4. *culo filius est* voraciore. Idem LVII, 8. *non hic quam ille magis* vorax *adulter*. Tibull. ad Priapum 30. 31.

> *Tibi haec paratur, ut tuum ter et quater*
> Voret *profunda fossa lubricum caput.*

Martialis II, 51.

> *Infelix venter spectat convivia culi,*
> *Et semper miser hic esurit, ille* vorat.

Ecquis erit, totum femur haec ne sugat hirudo,

Ne prorsus ventrem sugat ad usque meum?

Aloisia Sigaea p. 278. voravit *tibi rudem mentulam heluo cunnus.* Eadem p. 125. *ecce me totum, quam longus, quam crassus sum,* vorasti.

2. Paris. *usque meos*, cod. Cob. *ampla meos*. Supra priore libro XIX, 17. 18. de Ursa nostra:

Si mihi sint totidem penes, quot in arbore rami,
Hos omnes uno sorbeat Ursa die.

Iuvenal. X, 223. 24. *quot longa viros exsorbeat una Maura die.* Eadem res dicitur Priapeio XXXIV *peragere viros.* Ursae simillima erat Lydia, de qua Martialis XI, 22. *Lydia tam laxa est, equitis quam culus aëni,* multisque additis acerbe dictis;

Hanc in piscina dicor futuisse marina.
Nescio; piscinam me futuisse puto.

Similes Italae Hispanaeque feminae, de quibus Aloisia Sigaea p. 143. *ita est, cognata; hiant, hiant Veneris ostia antica deformem in modum Italis Hispanisque feminis. Putes, non hominibus tantum, sed etiam mulis natas.*

3. Codex Cob. iterum *et quis.* Mox Parisiensis hoc versu et proximo *suggat*, codex Cob. *sugat.* Aloisis Sigaea p. 74. *compressit me arctius Callias; promovit in uterum meum ea vi caudam ardentem, ut etiam videretur velle se totum in corpus meum immergere.*

Aut illam stringas quavis, Aurispa, medela,
Aut equidem cunno naufragor ipse suo.

VIII.

AURISPAE RESPONSIO.

Si semper tantus spiraret in aequore foetor,
Neminis ut nasus littora ferre queat.

---

5. Similis est querela Pacifici Maximi elegia XI. p. 124 exempli Parisiensis:

Quid dices? Quamvis exaequet mentula palmas
Nostra duas, libras contineatque decem,
Esse tamen minimam queritur, dicitque pusillam
Lux mea, nil, cunno cum tenet, esse putat.
Vix celare queunt navalia lintea membrum,
Quo viso tutus furibus hortus erit.
Me miserum, tanta est, et tanti ponderis adstat,
Ut tres a populo dicar habere pedes.
Haec mihi quid prodest? nostram non supplet amicam,
Rem tantam tenuem dicit et esse brevem.
Sarciat immensum, coecum et sine fine barathrum,
Funeque difficili terque quaterque liget.
Aut petat haec alium, membrum non tale videbit,
Taleque non coelum, tale nec orbis habet.
Efficite faciles superi, nam cuncta potestis,
Me totum penem dicat, ut illa sat est.

VIII.

Hoc Aurispae epigramma Jano Brukhusio ad Tibull. I, 2, 24. videbatur *flagitiose impurum*.

2. Cod. Cob. *et nasus littore*, Paris. *ut nasus littora*.

Quis vel in Adriaco, Scythico quis navita posset,
Aut in Tyrrheno naufragus esse mari?
Et tu ne timeas; nam cum magis arrigis Ursae,
Cumve magis cupias, vulva repellet olens.
Haec flat ita horrendum, quod pingue et putre cadaver
Ursae cum cunno lilia pulcra foret.
Haec flat ita, ut, merdis si quisquam conferat inguen,
Sit violae et suaves multa cloaca rosae.

---

3. Paris. *in adriaco*, cod. Cob. omittit *in*.

5. *Cum magis* pro *cum maxime*, vide supra ad VI, 4. — Sueton. Octav. 69. *anne refert, ubi et in quam arrigas?* Martial. IV, 5. *nec potes algentes arrigere ad vetulas.*

6. *Cumve* recepi ex cod. Coburgensi. Parisiensis *cum* omisso *ve*.

7. Eundem soloecismum commisit auctor epistolae C. Antonii ad Q. Soranum: *ad tantam impatientiam flagitii prorupit* (Cleopatra), quod *sub una nocte in lupanari prostibulo centum et sex virorum concubitus pertulit. In tantum enim, ut professa est, in tentigine rigidae vulvae erat accensa,* quod *e lupanari quidem, sed non satiata recessit.* Ultima deberi Juvenali VI, 128. 129. quisque videt.

Sin tuus hunc talem non horret nasus odorem,
Ut sit tunc vulvae strictior Ursa dabo.

IX.

AD URSAM FLENTEM.

Quid fles? en nitidos turbat tibi fletus ocellos!
Quid fles, ò lacrymis Ursa decora tuis?
Forte quod adversus te acciverit ira Camenas,
Aut mihi quod tu sis non adamata putes?
Crede mihi, mea lux, tantum te diligo, quantum
Non magis ex animo quisquis amare queat.
Tu quoque me redamas. Dubium est, qui vincit amore,
Alter utram vincit, vincitur alter utra.

---

12. Secutus sum scripturam Parisiensem. Cod. Cob. *ut sit* nunc *vulvae* striptior Ursae *dabo.*

IX.

1. Juven. VI, 8. *turbavit nitidos extinctus passer ocellos.*

4. *Sis* cod. Coburgensis, Parisiensis *scis.* Hic *putes,* ille *putas.*

7. Paris. *qui vincit amore,* codex noster *quis vincat amore.*

Cur igitur credis vitio qui ductus iniquo
Inter nos rixam dissidiumque cupit?
Juro per has lacrymas et crura simillima lacti,
Perque nates molles, et femur, Ursa, tuum,
Quod nunquam nisi quae te laudent carmina feci;
Sic sit versiculis gratia multa meis.
Ah pereat quaeso tibi qui mendacia dixit!
Ah pereat falsum qui tibi cunque refert!

---

12. Molles nates sunt carnosae, oppositae aridis, quae nudae radunt. Martial. XI, 101. *habere amicum nolo, quae clune nudo radat.* Aloisia Sigaea III, 22. *Scis praecipuas numerari inter Lucretiae dotes marmoreas et tumentes nates, scilicet incubanti dulce pulvinar Cupidini, et eidem humanam procudenti sobolem aptam incudem. Depygem vocat Horatius* (Sat. I, 2, 93.) *cui nates nullo eminent tumore:* Depygis, nasuta, brevi latere ac pede longo est. *Inclaruere apud Graecos quae callipyges dictae sunt, a pulchris natibus. Nihili natae parentibus locupletes et nobiles nactae sunt eo solum nomine maritos. Nates pro dote habuere, hac satis dote placuerunt.*

14. Parisiensis sic, codex Coburg. si.

Terge tuos fletus, sine te dissuavier, Ursa,
Parce mihi, luctu torqueor ipse tuo.
Tandem siste tui lacrymas, curaque salutem,
Namque ego te domina sospite sospes ero.

X.

DE POENA INFERNALI, QUAM DAT URSA AUCTORI SUPERSTITI.

Si calor et foetor, stridor quoque sontibus umbris
Sint apud infernos ultima poena locos,
Ipse ego tartareas, dum vivo, perfero poenas,
Id mihi supplicium suggerit Ursa triplex.
Nam sibi merdivomum stridit resonatque foramen,
Fervet et Ursa femur, putet et Ursa pedes.

---

17. Posterior pars versiculi *sine te dissuavier Ursa* deest in codice Coburgensi.

19. Paris. *siste*, codex noster *iste*.

X.

8. *Perfero* est codicis Coburgensis. Paris. *profero*.

XI.

IN HODUM MORDACEM.

Quod genium versusque meos relegisve probasve,
Gratum est; quod mores arguis, Hode, queror.
Crede velim nostra vitam distare papyro.
Si mea charta procax, mens sine labe mea est.

XI.

Inscribitur apud Mercerium et Bandinum *in Hodum mordacem*, in codice Cob. *in Oddum mordacem*. Non est nisi varietas scripturae, nam librarius noster similiter dedit infra XXXVI, 32. *os* pro *hos*, ibidem 37. et supra VI, 9. *arridus* pro *aridus*. De Hodo conferas epistolam Antonii ad Poggium fol. 81. libri Veneti: *fremat licet Odus nescio quis ex ultima vulgi faece, qui nihil furiosi habet praeter cerebrum, utique vir malevolus falsoque putans, me proinde parum pudicum, quia versiculi mei molles ludicrique sunt.*

1. Paris. *quod*, codex Cob. *quid*.
2. Codex Coburgensis hic: *Hodde*.
3. Paris. *nostra*, cod. Cob. *nostram*. Ovid. Trist. II, 353. 54.

Crede mihi: mores distant a carmine nostro.
Vita verecunda est, Musa jocosa mihi.

Delicias pedibus celebres clausere poëtae,
Ac ego Nasones Virgiliosque sequor.

XII.

EPITAPHIUM ERASMI BIBERII EBRII.

Qui legis, Erasmi sunt contumulata Biberi
Ossa sub hoc sicco non requieta loco.
Eripe, vel saltem vino consperge cadaver.
Eripe; sic quaeso sint rata quaeque voles.

Martialis I, 5. *lasciva est nobis pagina, vita proba est.*

6. Virgilius putabatur auctor Priapeiorum. Poggius in epistola ad Panormitam testimoniis de Hermaphrodito supra a nobis adjuncta: *ita et Virgilius adolescens lusit in Priapea.* Ipsa Priapeia sunt in codice Coburgensi manu exarato inscripta: *P. Virgilii Maronis Mantuani poëtae clarissimi Priapi carmen incipit feliciter.* Conferas Brukhusium ad Tibull. IV, 14.

XII.

In libro Veneto carmen XXX. Scriptura *Erasmi Biberii* est Parisiensis, Veneta, et Bandini. Codex Coburgensis *Herasmi Biberi.* Apud Venetum editorem deest *ebrii*, reliqui habent.

1. Codex Cob. iterum *Herasmi.*

4. Ovid. Trist. I, 1, 33. *quaeque volet, rata sint.*

Ossa sub oenophoro posthac erepta madenti
Conde, natent temeto fac; requietus ero.

XIII.

AD AMICUM CARUM, QUOD SUI CAUSA PISTORIUM SE CONFERAT.

Salve, vir populo spes certa et maxima Tusco,
Salve, praeclaros inter habende viros,
Salve, qui, longos si sis provectus in annos,
Tempora Phoebea virgine cincta feres.
Accipe si sileam tibi rem fortassis emendam,
Quaeque animo nil non sit placitura tuo.
Nuper apud molles Senas fit pestifer aër,
Quo fit, ut ipse petam Pistoriense solum.

---

6. Paris. cum Veneto *natent*, codex noster *natet*.

XIII.

Pro titulo conspicitur in membrana Coburgensi tantum *ad*, reliqua desunt, spatio relicto. Sed Bandinus consentit cum Parisiensi editore.

1. Cod. Cob. *et maxima*, Paris. *ac maxima*.
3. Cod. Cob. *salve qui*, Paris. *salve quod*. Ille mox *in annos*, hic *ad annos*.
4. *Virgine* pro *virgula*. Ovid. Trist. IV, 2, 51. *tempora Phoebea lauro cingentur*.
6. *Nil non* pro *non nihil*.

Sunt aliae Etruriis potiores montibus urbes,
Sed tu non alios incolis ipse locos.
Sis modo Pistorii, Romam vidisse fatebor,
Cum magis illa armis floruit aucta suis.
Interea pathicam mihi, dulcis amice, puellam
Delige, quae vernas exspuat ore rosas;
Neve sit exiguus toto sub corpore naevus,
Sit quoque cui tenerum spiret amoma femur,
Digna sit affectu, suavem quae novit amorem,
Quae velit et flammis reddere grata vices,

---

9. Paris. *Etruriis*, cod. Cob. *Etruriae*.

11. Cod. Cob. *sis modo*, Paris. *si modo*.

12. Paris. *aucta*, cod. Cob. *acta*.

13. Priap. XXIV. *sceptrum quod* pathicae *petunt puellae*. XL. *hunc* pathicae *summi numinis instar habent*. XLVIII. *cum mens est* pathicae *memor puellae*. LXXV. *obliquis* pathicae *quid me spectatis ocellis?* Pathicae dicuntur a multiplici patientia.

14. Paris. *delige*. Ferri etiam posset *dilige* codicis Coburgensis, si in alio esset auctore. Ovid. Fast. V, 194. *dum loquitur, vernas efflat ab ore rosas*.

15. Paris. *naevus*, cod. Cob. *nervis*.

16. Paris. *sit quoque*, cod. noster *sunt quoque*.

18. Paris. *flammis*, cod. Cob. *flammas*.

Mersilis in vitium, vivens in amore jocove,
Praeque proco cupiat postposuisse colos,
Divitibus vates, praeponat carmina gazis,
Sit pro versiculo vilis arena Tagi,
Denique sit pro qua sic possim dicere vere,
Pace dei dicam, pulcrior illa deo est.
Illam ego continuo nostris celebrabo Camenis,
Carmina si placeant, carmina mille dabo.

---

19. *Mersilis*, novum verbum nostri. Vitio operarum in Parisiensi libro *mersilit.*

21. Tibull. I, 4, 54. *aurea nec superent munera Pieridas.*

22. Ovid. Amor. I, 15, 34. *cedat* (carminibus) *et auriferi ripa beata* Tagi. Martialis I, 50, 15. *aestus serenos aureo franges Tago.*

24. 25. Duo hos versiculos, vicesimum quartum et quintum, quanquam inverso ordine, laudat Burmannus secundus in Anthol. Lat. tomo I. p. 670. Similia sunt Ovidii Amor. III, 2, 60. *pace loquar Veneris, tu dea major eris,* et Q. Catuli in Anthol. laudata Burmanni I, 669.

Pace mihi liceat coelestes dicere vestra,
Mortalis visus pulcrior esse deo.

Codex noster vitiose *illa ego.*

Quae si pro numeris ferat oscula, carmina condam,
Qualia Virgilium composuisse putes.
Nec mihi Castalios latices petiisse necesse est,
Sit mihi Castalius salsa saliva liquor.
Haec ego praestiterim, tu tantum quaerito nympham,
Quae thiaso et cantu docta sit ante alias.
Tandem perpetua salve mens digna salute,
Cum tua nimirum sit mea paene salus.

XIV.

AD SANSEVERINUM, UT VERSUS FACERE PERGAT.

Sanseverine, tuam legi bis terque Camenam,
Et placet, et nullo claudicat illa pede.

---

27. Paris. *condam*, cod. Cob. *quondam*. Sic *quor* pro *cur* in codice nostro Priapeiorum, VIII, 1. XXXVII, 1.

30. Codicem nostrum secutus sum. Parisiensis *Castaliis falsa*.

31. Codex *tantum*, Paris. *tamen*. Ille *nimphen*, hic *nympham*.

XIV.

Carmen Venetum IX.

2. Paris. cum Veneto *illa*, codex Cob. *ille*.

Dii simulac facili praestant tibi pectora vena,
Hortor Pierios condere perge modos.
Res sane egregia est, mortalia fingit et ornat
Pectora, post obitum miscet et illa deis.
Tu duce me actutum vises Parnassea Tempe,
Deque sacro pleno pectore fonte bibes.
Nec te destituam, modo tu consortia vites
Cum rudis atque hebetis, tum rudis atque hebetis.

---

3. Parisiensis *facili*, codex Cob. *facilem*. At Venetus *dii simulac facili praestent tibi tempora vena*. Saepe a librariis inter se permutari *tempora* et *pectora* observarunt interpretes ad Silium Ital. XVI, 122. Ovid. Trist. I, 1, 40. et Metamorph. IV, 492.

7. Venetus *tu duce*, Parisiensis *te duce*, codex Cob. *tu dulce*.

10. Juvat addere quae Antonius scripsit Piccinino filio in eandem sententiam folio 27 libri Veneti: *equidem volui stultorum commercia effugeres, volui ac vehementer volo, sit modo id possibile. Stultorum plena sunt omnia, et quoquo te verteris, stultus praesto est. Est igitur hoc ipsum, quod tibi cupio, difficile, fateor, sed virtutis comes est difficultas. Verum his missis respondes, te stultos non nosse, nec etiam amare. Ergo me longe fortunatior es certe, qui stultis undique circumstipor, cum stultis ambulo, cum stultis convivo.*

Crassa quidem ruditas parvo te polluet usu,
Inficietque tuos transitione sinus.

XV.

IN MATTHIAM LUPIUM CLAUDUM.

Lupius, absposcis me rara epigrammata Marci;
Concedam, rectis passibus ipse veni.

XVI.

IN EUNDEM GRAMMATICUM.

Tres habet arcana Matthias Lupius aula
Discipulos; unus de tribus est famulus.

XV.

In libro Veneto carmen XIX. Epigraphen variant: Bandinus *in Matthiam Lupium claudum.* Parisiensis ad *Matthiam Lupium claudum.* Codex Coburgensis *in Matthiam Lupium claudum grammaticum.* Venetus *in Matthiam Lupium claudum maledicum.*

1. Paris. cum Veneto *rara*, codex Cob. *cara*. Supra libro primo XLI, 19. *ut mihi concedat perrara epigrammata Marci.* De nomine conferas Martialem ipsum 1, 56. *vota tui breviter si vis cognoscere* Marci, et III, 6. Marcus *avere jubet.*

XVI.

Carmen Venetum XXI. Conferas epigramma XXIII. prioris libri.

XVII.

PRO M. SUCCINO AD MAURAM.

Pulcrior argento es, sed eris formosior auro,
Si bona reddideris verba, benigne puer.
Est pia vestra domus; fratres, germana, parentes;
Sis pariter mitis, si pia tota domus.
Est tua forma decens, mens sit quoque pulcra licebit;
Conveniant formae reddita verba tuae.
Conservare viros perituros regia res est;
Haec nos coelitibus res facit esse pares.
Ast ego Castalio deducam fonte sorores,
Quae formam et mores et tua facta canant.

XVII.

Epigraphe apud Mercerium *pro M. Succino ad L. Mauram*, in codice nostro *pro M. Succino in Lupium Mauram*, apud Bandinium *pro M. Succino ad Mauram.*

6. *Conveniant* recepi ex codice Coburgensi. Paris. *convenient.*

10. Paris. *canant*, cod. Cob. *canent.*

Quid melius Musa tribuam? quid carmine majus?
Si potius quid sit carmine, posce; dabo.
Quem sacri vates voluere, est fama perennis;
Tu quoque, ni fallor, carmine clarus eris.
Namque ego doctiloquo vivaces carmine reddam
Semper amicitias, sit modo vita, pias.
Quippe boni de te capient exempla minores,
Gaudebunt actus saepe referre tuos.
Lux mea, Maura, vale, tibi meque meamque Thaliam
Dedo, velis uti, lux mea, Maura, vale.

---

12. *Posce* est codicis nostri, Mercerius *posse.*

13. Ovid. Amor. I, 15, 7. 8. *mihi fama perennis quaeritur.* Tibull. I, 4, 59. 60.

> *Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus,*
> *Dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas.*

17. Cod. noster *capient*, Paris. *capiant.*

XVIII.

PRO M. SUCCINO ORAT, ET UT SPERET DE L. MAURA EXHORTATUR.

Dii faciles, incepta precor, Succine, secundent,
Cum puero fautrix sit Cytherea suo,
Ut responsa hilari sint convenientia formae,
Et reddat pulcer verbula pulcra puer.
Est pia tota domus, fratres, germana, parentes,
Nescio quin speres, si pia tota domus.
Ipse pios longe superat pietate propinquos;
Nescio cur patri Maura sit absimilis.

XIX.

IN MATTHIAM LUPIUM.

Lupius in pueros, si quis screat, intonat; idem
Dum comedit, pedit; cum satur est, vomitat.

XVIII.

Epigraphe est Bandini et Parisiensis. Codex Coburg. *pro M. Succino orat et exortatur, ut speret de L. Maura.*

XX.

IN LENTULUM MOLLEM.

Si neque tu futuis viduas, neque, Lentule, nuptas,
Si tibi nec meretrix, nec tibi virgo placet,
Si dicas, quod sis calidus magnusque fututor,
Scire velim, mollis Lentule, quid futuas.

XXI.

EPITAPHIUM MARTINI POLYPHEMI, COCI EGREGII.

Siste, precor, lacrymisque meum consperge sepulcrum,
Hac quicunque studens forte tenebis iter.

XX.

3. Paris. *quod sis calidus*, codex Coburg. *quod tu sis callidus.* Sic librarius noster infra XXIV, 1. *callidi* pro *calidi.*

XXI.

Carmen Venetum XXXI. *Coci egregii* omittit Venetus, habet Parisiensis cum Bandino et codice Coburgensi.

2. Secutus sum Parisiensem et codicem nostrum. Venetus *quicunque hac juvenis forte tenebis iter.*

Sum Polyphemus ego, vasto pro corpore dictus,
Martinus proprio nomine notus eram,
Qui iuvenes studiis devotos semper amavi,
Quem liquet et famulos et superasse coquos.
Nunc ego funebri tandem spoliatus honore
Thure carens summa sum tumulatus humo.
Me Mathesilanus tempesta in nocte recondi
Jussit, et exequias luce carere meas.
Nec cruce nec cantu celebravit nostra sacerdos
Funera, nec requies ultima dicta mihi,

---

5. 6. In alia omnia abit hoc disticho Venetus:

Qui domino ingrato frustra famulabar in arte,
Qua celebror celebres exsuperasse coquos.

Codex Coburg. conspirat cum editore Parisiensi.
7. Paris. et cod. Cob. *nunc ego*, Venetus *nunc hic*.
9. Paris. *Mathesilanus*, cod. Cob. *Mathesillanus*, Venetus *Matesilanus*. Pro *tempesta* Venetus solus *latebrosa*. Lucan. Pharsal. VI, 120. *non obscura petit* latebrosae *tempora noctis*. Parisiensis et Venetus *recondi*, codex noster *recondit*.
10. Venetus *essequias*, Italorum more.

Clamque fui sacco latitans raptimque sepultus,
Nec capiunt coleos arcta sepulcra meos.
Dum feror obstupui, timuique subire latrinas,
Nec loca crediderim religiosa dari.
Oro pedem adjecta claudas tellure parumper,
Qui patet, heu vereor ne lanient catuli.
Continuo domini complebo ululatibus aedem
Infaustis, poenas has dabit ipse suas.

---

13. Paris. et Venetus *clamque*, codex Coburg. *clamve.*

14. Dedi versiculum ad scripturam Parisiensem et codicis nostri. Venetus pudicius: *nec ventrem capiunt arcta sepulcra meum.* Ceterum in codice nostro scribitur *arta.*

15. Paris. et Venetus *feror*, cod. Cob. *fero.* Pro *latrinas* Venetus solus *latebras.*

16. Venetus *relligiosa*, praeter necessitatem, vide Scioppium ad Priapeium XI.

17. Paris. cum cod. Cob. *adjecta claudas*, Venetus *injecta condas.*

19. Paris. cum Veneto *domini complebo*, codex Cob. *catuli implebo.*

20. Secutus sum Mercerium et codicem nostrum. At Venetus *inferiis poenas has dabit ille meis.*

XXII.

LAUS AURISPAE AD COSMUM.

Si quis erit priscis aequandus, Cosme, poë-
tis,
Et si cui Phoebus Pieridesque favent,
Si quis cum loquitur vel splendida facta repo-
nit,
Mercurium jures ejus ab ore loqui,

XXII.

Carmen Venetum IV. In lucem etiam prolatum est hoc epigramma et ab editore Florentino Carminum illustrium poëtarum Italorum, tomo II. p. 113. et a Jano Brukhusio ad Tibullum I, 2, 24. Epigraphe varia: in codice Cob. et apud Bandinum *laus Aurispae ad Cosmum*, apud Parisiensem *laus Aurispae ad Cosmum virum clarissimum*, apud Florentinum *laus Aurispae ad Cosmum Medicem*, apud Venetum *ad eundem de Aurispa*; praecedit enim in libro Veneto epigramma nostrum primum libelli secundi, et ipsum Cosmo dicatum.

1. Florentinus *erat*, ceteri *erit*.

3. Parisiensis, Venetus et codex Cob. *cum loquitur*, Brukhusius *vel loquitur*.

4. Codex Coburgensis cum Florentino et Veneto *jurés ejus*, Parisiensis *dices ejus*, Brukhusius *videas cujus*.

Quive alios laudet, cum sit laudabilis ipse,
Quive hedera merito tempora nexa ferat,
Si quis erit linguae doctus Grajae atque Latinae,
Si non Aurispa est hic, periisse velim.
Quisquis in hoc mecum non senserit, arbiter aequus
Non fuit, aut certe Zoilus ille fuit.

XXIII.

AD GALEAZ, QUEM ORAT UT SIBI CATULLUM INVENIAT.

Ardeo, mi Galeaz, mollem reperire Catullum,
Ut possim dominae moriger esse meae.

---

5. Paris., codex Cob. et Florentinus *quive*, Venetus *quique*. Apud Brukhusium deest totum distichon tertium. Omnes *laudet*, praeter codicem nostrum, qui *laudat*.

6. Solus Venetus et hic *quique*.

XXIII.

Venetum carmen XII. Paris. et Venetus in epigraphe *Galeaz*, Bandinus *Galiaz*, codex Cob. *Galeam*. Retinent suam quisque scripturam versiculo primo. *Quem orat* omittit codex noster, habet Parisiensis cum Veneto et Bandino. Solus Venetus

Lectitat illa libens teneros lasciva poëtas,
Et praefert numeros, docte Catulle, tuos.
Nuper et hos abs me multa prece blanda poposcit,
Forte suum vatem me penes esse putans.
Non teneo hunc, dixi, mea lux, mea nympha, libellum;
Id tamen efficiam, forsan habebis opus.
Instat, et omnino librum me poscit amicum,
Et mecum gravibus nunc agit illa minis.

---

omittit *sibi.* Typis nondum prodierat Catullus illo tempore, quod demum factum est anno 1472. postquam carmina ejus manuscripta in horreo quodam neglecta et jam peritura repererat Guarinus Veronensis, si fides Borsetto in Historia almi Ferrariae gymnasii parte II. p. 19.

4. Tibull. III, 6, 41. *sic cecinit pro te* **doctus**, *Minoi, Catullus.* Ovid. Amor. III, 9, 62. *cum Calvo,* **docte** *Catulle, tuo.* Martialis VIII, 73. *Lesbia dictavit,* **docte** *Catulle, tibi.* Causa laudis non satis liquet. Jul. Caes. Scaliger libro sexto cap. septimo Poëtices: *Catullo docti nomen quare sit ab antiquis attributum, neque apud alios comperi, neque dum in mentem venit mihi.... Nihil enim non vulgare est in ejus libris.*

5. Paris. et codex Cob. *abs me*, Venetus *a me*.

Quare ego per superos omnes, o care sodalis,
Sic precibus lenis sit Cytherea tuis,
Te precor atque iterum precor, id mihi quaere libelli,
Quo fiam nostrae gratior ipse deae.

XXIV.

MATTHIAE LUPII SENTENTIA AD BALBUM.

Balbe, scias calidi quae sit sententia Lupi,
Quam modo versiculis prosequar ipse meis.
Si saepe efflictum cupiat mea mentula cunnum,
Interdum adfectet cruscula cauda salax,

---

12. Paris. *Cytharea*, codex noster *Citharea*, Venetus *Citherea*.

XXIV.

1. Codex Cob. *callidi;* conf. XX, 3. hujus libelli.
3. 4. Saepe cupit futuere, interdum paedicare. Nam *cruscula adfectat* paedico, quod supra libro primo IX, 5. 6. dicebatur *cruscula velle*. Forsan pro *efflictum* dedit auctor *efflictim*.

Non tamen usque adeo delira aut plena libido est,
Ut popisma palam cumve cohorte rogem.

---

5. Priap. XXXIII. *adeo mea plena libido.*

6. *Popisma* dicere videtur vilem et quadrantariam lupam, quae poppysmate, id est vel sibilo labiis, vel plausu manibus edito, et alliciat, et alliciatur. Sane scribendum erat *poppysma*, nolui tamen in re minus certa scripturam contra fidem librorum immutare. *Rogatur* poppysma eodem sensu, quo Ovidius Amor. I, 8, 43. *casta est*, inquit, *quam nemo* r o g a v i t. Aliena videntur *poppysmata cunni* apud Martialem VII, 17. quae signa sunt, quibus prodit femina, coitu se vix satiari, ut illa de qua Pacificus Maximus elegia XI. supra a nobis adducta festive querebatur.

Talis cunnus Martiali loco mox citato dicitur *clamosus*, talis cunni *garrulitate* offenditur:

Accessi quoties ad opus mistisque movemur
Inguinibus, cunnus non tacet, ipsa taces.
Di facerent, ut tu loquereris et ipse taceret.
Offendor cunni garrulitate tui.
Pedere te mallem; namque hoc nec inutile dicit
Symmachus, et risum res movet ista simul.
Quis ridere potest fatui poppysmata cunni,
Cum sonat hic, cui non mentula mensque cadit?
Dic aliquid saltem, clamosoque obstrepe cunno,
Et si adeo muta es, disce vel inde loqui.

Nolim cum populo compaedicare Jacinthum,
Cum multis ipsam non Helenem futuam.
Sic ait; id digito dictum tibi, Balbe, ligato,
Et clam paedico clamve fututor agas.

XXV.

AD MEMMUM DE PARTU LUCIAE NYMPHAE.

Cum modo per dominae vicum mihi transitus esset,
Haec ego pro nympha parturiente precor.
Nunc age, nunc, Lucina, meae succurre puellae,
Quae parit, atque aliquem jam paritura deum est.

---

8. Paris. *Helenem*, cod. Cob. *Helenam*.

XXV.

Libri Veneti carmen XIII. Parisiensis cum Bandino *Memmum*, Venetus *Mammum*.

1. 2. Distichon primum deest in libro Veneto.

4. *Est* omittit Venetus, Parisiensis et codex noster habent.

Ah dolor, en clamat supplex tua numina poscens,
Vocibus et lacrymas addit amara suis.
In me dii luctum dominae transferre velitis,
Etsi me miserum non minor angor habet.
Quid cessas? est, diva, tibi laus maxima, si tres
Incolumi nympha restituisse potes.
Hei mihi, ne superi, si in te mala forte rogarim,
Audierint, votis et cruciere meis.
Parcite moratam, superi, laesisse puellam,
Et facite, ut veniant in caput illa meum.
Quin vereor, neu te dudum Venus effera vexet,
Sicque tua poenas impietate luas.
Cernis ut ultricem durum est offendere divam;
Ergo tuo mitis sis facilisque proco.
Quid tardas, Lucina? veni faustissima nymphae,
Lenis io nymphae prospera diva veni.

---

5. Distichon tertium et proxima sex desunt in Veneto libro.

19. Reliqua exstant in Veneto libro.

20. Paris. cum codice Cob. *lenis*, Venetus *laevis*.

Postmodo solemnes certe tibi construet aras,
Imponetque tuis menstrua thura focis.
Haec ego, sed quoniam dea sit tibi promptior, oro,
Ipse tuas praestes, splendide Memme, preces.
Nil dubito, quin flore dato votisque peractis
Exsolvet partus molliter illa suos.

XXVI.

DE SUO OCCULTO AMORE.

Uror, et occultae rodunt praecordia flammae;
O ego si sileam terque quaterque miser!

---

24. Venetus *Mamme*, ceteri *Memme*.

25. *Flore* est codicis Coburgensis et Veneti. At Parisiensis *forte*. Hic cum codice nostro *peractis*, Venetus *solutis*.

XXVI.

Venetum carmen XIV. Laudatur hoc distichon in Margarita poëtica Alberti Eibensis parte I. tract. III. cap. XIII. fol. 148. exempli Argentinae anno 1503 editi, ita tamen ut pro *rodunt* ibi scribatur *redeunt*.

2. Parisiensis, codex Cob. cum Alberto Eibensi *o ego*, Venetus *ergo*. Tibull. II, 4, 7. *o ego ne possim tales sentire dolores!*

XXVII.

IN MATTHIAM LUPIUM, VIRUM IGNAVUM.

Aonia rediens Matthias Lupius ora
Castalidum steriles nunciat esse lacus,
Et siccas laurus, nullam et superesse puellam,
Singula contatus comperit esse nihil.
Impuri nequeunt oculi spectare sorores,
Scilicet ignavis Pegasis unda latet.

XXVIII.

PRO CENTIO AD CONTEM, UT EX RURE REDEAT.

Centius hanc vidua tibi mittit ab urbe salutem,
Lux mea, mi Contes, dimidiumque animae.

XXVII.

Carmen Venetum XVIII.

3. Paris. et codex Cob. *laurus*, Venetus *lauros*.

6. Parisiensis et codex Cob. *ignavis*, Venetus tamen *impuris*, et diserte ait auctor in epistola ad Cambium fol. 48. Veneti libri: *Hermaphroditi versus est, scilicet impuris Pegasis unda latet.*

Quid mihi laetitiae superest, ubi rura petisti?
Spiritus est membris visus abire meis.
Id mihi laetitiae tantum est, puer urbe remansit,
Inque suos vultus conspicor ipse tuos.

XXVIII.

In Veneto libro, quo est carmen XXIII, totum epigramma diffingitur, ita quidem, ut ex epistola amici ad amicum prodeat epistola uxoris ad maritum. Forsitan auctor ipse poëma incudi redditum ad aliam occasionem accommodavit. Simile recurret infra in epigrammate XXXIV. Quam dedimus epigraphen, eam editori debemus Parisiensi et Bandino, quibuscum facit codex noster, nisi quod in hoc pro *Contem* scriptum reperitur *Centonem.* Tamen versiculo secundo codex habet *Contes.* Venetus *pro Centia ad Contem, ut ex rure redeat.*

1. Codex noster *Centius hanc vidua*, Parisiensis *Contius hanc vidua*, Venetus *Centia cara olim.*

3. Paris. cum cod. Cob. *quid*, Venet. *nil.*

4. Paris. et cod. Cob. *spiritus est membris*, Venetus *sanguis et e venis.*

5. Paris. et cod. Cob. *id mihi laetitiae*, Venet. *hoc mihi lenimen.*

6. Paris. cum cod. Cob. *inque suos vultus conspicor ipse tuos*, Venetus *cujus in effigie conspicor ipsa tuam.*

Ne fuge, care puer, sine te, germane, videri,
Dumque agit in sylva, ne fuge, care puer.
Plura velim, sed plura loqui dolor impedit, ergo
Vivere si cupias me, cito rure redi.

XXIX.

AD LEUTIUM FOENERATOREM, UT PLAUTUM COMMISSUM HABEAT.

Hunc tibi quam possum Plautum commendo, Leuti,
Plautum, quem vocitat lingua Latina patrem.
Haud de te modicum, vates, aboleverat aetas,
Te modo pernicies altera foenus edit.

---

7. Paris. et codex noster *germane*, Venet. *minate.*
8. Parisiensis *dumque agit in sylva*, codex Coburg. *dumque agit in sylvas*, Venetus *dum pater hinc aberit.*

XXIX.

Parisiensis cum Bandino *ut Plautum commissum habeat*, codex noster *ut commissum habeat Plautum.* Meminisse juvabit, Plautum ante annum 1472 typis nondum fuisse vulgatum.

8. *Aboleverat* debeo codici nostro. Nam Parisiensis habet *oboleverat.*

XXX.

EPITAPHIUM NICHINAE FLANDRENSIS, SCORTI EGREGII.

Si steteris paulum, versus et legeris istos,
Hac gnosces meretrix quae tumulatur humo.
Rapta fui e patria teneris pulchella sub annis,
Mota proci lacrymis, mota proci precibus.
Flandria me genuit, totum peragravimus orbem,
Tandem me placidae continuere Senae.
Nomen erat, nomen notum, Nichina; lupanar
Incolui, fulgor fornicis unus eram.
Pulcra decensque fui, redolens et mundior auro,
Membra fuere mihi candidiora nive.

XXX.

In epigraphe codex noster omittit *egregii*, et inserit *generosum* post *epitaphium*. Secuti sumus Parisiensem et Bandinum.

2. Paris. *gnosces*, codex Cob. *noscet*.

7. Paris. *notum*, codex Cob. *totum*.

10. Ovid. Amor. III, 7, 8. *brachia Sithonia candidiora nive*.

Quae melior nec erat Senensi in fornice Thais
Gnorit vibratas ulla movere nates.

---

11. Paris. *melior*, codex Coburg. *melius.*

12. Infra XXXVII, 14. *docta agitare suas illa vel illa nates.* Priap. XXVI. *Quintia vibratas docta movere nates.* Uno verbo id dicitur *crissare.* Martial. X, 68. *numquid cum crissas, blandior esse potes?* Plenius, nec semel, rem tractavit magistra nequitiarum, Aloisia Sigaea: p. 81. *Vibratis in aëra natibus continuo meo motu tam apte Calliae motui respondi, ut eum deorsum impelleret in meas fores pessulum, ego sursum propellerem. Ita pubes pubi, pecten pectini pugnabat ea contentione, ut si seminis ad summum capitis verticem fontem habuisset Callias, ex eo potuissem nihilominus excire.* P. 87. *Egressa matre Callias jubet subsultus objicere concussibus suis rapidos et frequentes. Jactitare nates coepi, sursumque deorsumque ferri, ut facturus impetu impressionem abscedebat, ut faciens irruebat. Laudabat animos, mirabatur mobilitatem.* Pag. 180. *Innitor pedibus, uterum tollo, et lumbos quam altissime possum; obviam eo ruenti. Tunc suavium dat* (Lampridius,) *manum sub nates mittit. Eodem momento connivent oculi patrantes, anima me reciprocando deficit, rabida titillatione sentio largum liquescere me in humorem. Advertit Lampridius, pulsat, impellit, agitat; mox et ipse fervido me ferit seminis ictu. Sic alter in alterius amplexu deficimus.* Pag. 187.

Rapta viris tremula figebam basia lingua,
Post etiam coitus oscula multa dabam.

Tunc vehementissime coepit concutere (Jocundus,) *ego succutere, nates tollere crispantes, motitare flexibiliter lumbos. Primus titillationem praesentit advenientis gaudii, at omni nisu et agitatione pervicaci exorienti favi libidini. Post intro sensi in lumbis aperiri mihi Veneris fontem. Deficio.* Huc pertinet illud Ovidii Heroid. XV, 47. 48.

Tunc te plus solito lasciuia nostra juvabat,
Crebraque mobilitas aptaque verba joca.

Vis tu scire, quae fuerint apta verba joco? Nec ea nobis inviderunt candidae priscorum animae. Martialis X, 68. *ζωὴ καὶ ψυχὴ lascivum congeris usque.* Juvenalis VI, 192 — 194.

Non est hic sermo pudicus
In vetula, quoties lascivum intervenit illud
Ζωὴ καὶ ψυχή.

Magnam vim blandae vocis in opere Venereo veteres haud raro commemorant. Martial. XI, 105. *nec motu dignaris opus nec voce juvare.* Idem XI, 61.

At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
Adjuvat, absentem marmoreamque putes.

Ovid. Amor. III, 7, 9 — 12.

Osculaque inseruit cupidae luctantia linguae,
Lascivum femori supposuitque femur,
Et mihi blanditias dixit, dominumque vocavit,
Et quae praeterea publica verba juvant.

Lectus erat multo et niveo centone refertus,
Tergebat nervos officiosa manus.

Idem de arte amatoria III, 795. 96.

Nec blandae voces jucundaque murmura cessent,
Nec taceant mediis improba verba jocis.

Ceterum in versiculo nostro codex Cob. habet *norit* pro *gnorit*, quae scriptura est Parisiensis.

16. Priap. LXXXI. nervis, *tente Priape, fave.* Tibull. ad Priapum 41. *repente* nervos *excitet libidine.* Ovid. Amor. III, 7, 35. *quid vetat et* nervos *magicas torpere per artes?* Horat. Epod. VIII, 17. *illiterati num minus* nervi *rigent?* Petron. cap. 131. *admotis manibus tentare coepit* (anus) *inguinum vires. Dicto citius* nervi *paruerunt imperio, manusque aniculae ingenti motu repleverunt.* Verum et singulari numero *nervus* de mentula dicitur: Juvenalis IX, 34. *nil faciet longi mensura incognita* nervi. Idem X, 205. 206.

Jacet exiguus cum ramice nervus
Et quamvis tota palpetur nocte jacebit.

Priap. LXIX. 25. 26.

Nemo meo melius nervum *tendebat Ulysse,*
Sive illi laterum, seu fuit artis opus.

Luxorius in Anthologia Burmanni secundi tomo II, p. 606.

Esset causidicus si par facundia nervo,
Impleret cuncta viscera negotii.

Pelvis erat cellae in medio, qua saepe lavabar,
Lambebat madidum blanda catella femur.
Nox erat, et juvenum me sollicitante caterva
Substinui centum non satiata vices.

Anonymus in eadem Anthologia tomo II. p. 474.

Sit ut marito
Nervus *saepe rigens potensque semper.*

Aloisia Sigaea p. 258. *ecce ut rigidus, ut igneus, ut superbus Lampridio micat* nervus. *Excipe.* Eadem parte III. p. 114. *at exerrantem et resilientem intercipit caudam Manilia,* officiosam *insinuans manum.*

18. Canes apud Romanos solemne fuisse satellitium meretricularum observavit Brukhusius ad Tibull. I, 7, 32. et II, 4, 32. Vult ille huc redire *canes suburanas* Horatii Epod. V, 58. et *suburam vigilacem* Propertii IV, 7, 15. Infra XXXVII, 15. *te viset Jannecta, sua comitante catella.*

19. Horat. Epod. XV, 1. nox erat, *et coelo fulgebat luna sereno.* Ovid. Amor. III, 5, 1. nox erat, *et somnus lassos summisit ocellos.*

20. Juvenal. VI, 127 — 129.

(Messalina) *ultima cellam*
Clausit, adhuc ardens rigidae tentigine vulvae
Et lassata viris nondum satiata *recessit.*

Plinius Histor. naturalis libro X. cap. 83. *Messalina, Claudii Caesaris conjux, regalem existimans palmam elegit in id certamen nobilissimam*

Dulcis, amoena fui, multis mea facta placebant,
Sed praeter pretium nil mihi dulce fuit.

XXXI.

CONQUERITUR, QUOD PROPTER PESTEM A DOMINA AMOTUS SIT.

Quando erit, ut Senas repetam dominamque revisam?
Me miserum molli pestis ab urbe fugat.

---

e prostibulis ancillam mercenariae stipis, eamque nocte ac die superavit quinto ac vicesimo concubitu. Ovidius Amor. III, 7, 23 — 26.

At nuper bis flava Chie, ter candida Pitho,
Ter Libas officio continuata meo.
Exigere a nobis angusta nocte Corinnam
Me memini numeros sustinuisse novem.

Autor epistolae C. Antonii ad Q. Soranum: (Cleopatra) *sub una nocte sumto cucullo in lupanari prostibulo centum et sex virorum concubitus pertulit.*

21. 22. Hoc distichon laudatur in Margarita poëtica Alberti Eibensis fol. 148. sed pro *praeter pretium* legitur ibi *super pretium.*

XXXI.

Est epigramma XXXI. in codice Coburgensi et apud Bandinum, XXXII. in exemplo Parisiensi,

XXXII.

OPTAT PRO NICHINA DEFUNCTA.

Oro tuum violas spiret, Nichina, sepulcrum,
Sitque tuo cineri non onerosa silex.
Pieriae cantent circum tua busta puellae,
Et Phoebus lyricis mulceat ossa sonis.

XXXIII.

LAUS COSMI, VIRI CLARISSIMI.

Cosme, quis est Latiis vir felicissimus oris
Conjugio, gazis, prole, parente, domo?

XV. editoris Veneti. Epigraphen dedi Parisiensem, consentientibus Bandino et codice nostro. Venetus: *conqueritur quod a domina abesse cogatur.* De peste Senensi conferas epigramma XIII hujus libri, et XXX prioris.

XXXII.

Est epigramma XXXII. apud Bandinium et in nostro codice, XXXI. Parisiense, XXIX. Venetum. *Optat* habet Parisiensis editor cum Bandino, *orat* codex Coburgensis cum Veneto.

3. Venetus *consistent*, ceteri *cantent.*

XXXIII.

Carmen Venetum II. Recepit etiam Florentinus editor Carminum illustrium poetarum Italorum

Quis patriae spes est? quis sanguine clarus avito?
Vates quis priscos servat, amatque novos?
Pace quis Augustus, Caesar quis Julius armis?
Quis fiet mira pro probitate deus?
Cosme, quis hic est? aut certe tu, Cosme, vir hic es,
Aut certe quis sit nescio. Cosmus, es hic.

---

tomo II. p. 111. 112. Inscriptio nostra est Parisiensis, Bandini et codicis Coburgensis. Florentinus *laus Cosmi Medicei, viri clarissimi.* Venetus *in laudem ejusdem*; nam proxime praemisit Venetus epigramma primum libri prioris, et ipsum *ad Cosmum* inscriptum.

2. Cod. Cob. *pomo*, reliqui *domo.*

4. Venetus *qui*, ceteri *quis.* Tum *servat amatque* omnes, praeter codicem Coburgensem, qui exhibet *servet ametque.*

7. Codex Coburgensis *aut certe Cosme*, omisso *tu.* Parisiensis et Venetus *aut certe tu Cosme.* Florentinus *aut tu certe Cosme.*

8. Parisiensis, Venetus et Florentinus *quis*, codex Cob. *quid.* Tum omnes *Cosmus es hic*, excepto Veneto, qui dat *Cosmus is est.* Similis nominativus pro vocativo recurrit in epistola Antonii ad Joannem Lamolam, folio 84. libri Veneti: *vale meus ocellus aureus*; item in epigrammate XV no-

XXXIV.

AUCTORIS DISCIPULI VERSUS AD L. MAURAM, QUOD NON SERVET PROMISSA.

Cur non, Maura, venis? cur non promissa fidemque
Solvis? cur nullo pondere verba refers?
Nam memini dixti nobis venientibus ex te:
Ite alacres, cras hinc vos petiturus ero.

---

stri libri: *Lupius absposcis me rara epigrammata Marci.* Conferas Burmannum secundum ad Anthologiam Latinam tomo I. p. 614.

XXXIV.

In libro Veneto est carmen XI. Epigraphe varia: nostra est Parisiensis, Bandinus *auctoris discipuli versus ad Mauram, quod promissa non servet,* codex Coburgensis *auctoris ad L. Mauram, quod non servat promissa,* Venetus *ad Luciam Mauram, cur promissa non servet.* Veneta carminis recensio plane diversa ab ea, quae in ceteris libris proponitur, ita quidem, ut omnia ad feminam referantur, quae in reliquis pertineant ad marem. Simile vidimus supra in epigrammate XXVIII.

4. Paris. cum Veneto *cras*, cod. Cob. *crans.* Similia exempla *atlans*, *asprenans*, *formonsus* adnotavit Burmannus secundus ad Anthol. Latinam tomo II. p. 182. Noster infra XXXVI, 30. *conmensa* pro

Cras venit, nec te aërea deducis ab arce,
Cras it, nec tu nunc, perfide Maura, venis.
Quodsi nos flocci facias, et ludere jam fas
Esse putas, noli spernere, Maura, deo.
Maura deos temnit, juravit numina divum,
Quod nos paganico viseret ipse solo.

---

comesa. Hinc vos petiturus ero est scriptura Parisiensis, pro qua codex Coburgensis, *vos* omisso, *hinc petiturus eam*, Venetus *hinc vos petitura sequar*.

5. Martialis V, 59. *dic mihi*, cras *illud, Postume, quando* venit? Pro *nec te aërea*, quae est scriptura Parisiensis et codicis nostri, Venetus *aërea nec te*. Hoc versiculo librarius codicis Coburg. maluit scribere *cras*, non *crans*.

6. Ovid. Amor. I, 6, 24. *tempora noctis* eunt. Parisiensis cum codice Cob. *perfide Maura*, Venetus *perfida Maura*.

10. Paris. *viseret ille loco*, codex Cob. *viseret ipse solo*, Venetus *viseret ipsa solo*.

Maura deos temnit memores fandi atque nefandi;
Spernit et ille viros, spernit et ille deos.
O levior foliis, avium ventosior alis!
Femineum et turpe est fallere sic alios.
Si te, Maura, juvat me fallere, falle, sed illum;
Carmine qui claret ludere, Maura, cave.

---

11. Paris. cum Veneto *fandi atque nefandi*, codex Coburg. *fandique nefandi*.

12. Secuti sumus scripturam Parisiensem. Codex Cob. *spernit et ille novos spernit et ille deos*. Venetus *spernit et illa viros, spernit et illa deos*.

13. Ovid. Amor. II, 16, 45. *verba puellarum foliis leviora caducis*. Heroid. V, 109. *tu levior foliis*.

15. Ovid. de arte amatoria I, 310: *sive virum mavis fallere, falle viro*.

16. Paris. cum Veneto *qui*, codex Cob. vitiose *quid*. Tum Parisiensis et codex noster *claret*, Venetus *pollet*.

Tu vatem et nomen, verum non dogmata nosti.
Nosce, capesse cito, carmine doctus eris.
Non mercede docet quemquam, non indigus auro est,
Virtutis solum motus amore docet.
Me docuit doctor doctissimus edere versus;
Perdidici, et nunc jam carmina nostra legis.

XXXV.

AD LIBELLUM, NE DISCEDAT.

Quid vis invito domino discedere? quid vis?
Quid te de nostra dejicit aede, liber?

---

17. Versiculi sex ultimi desunt apud editorem Venetum.

18. Paris. *nosse*, codex Coburg. *nosce*. Pro *capesse*, quae est scriptura Parisiensis, dedit librarius codicis Coburgensis *capesce*.

19. Paris. *auro est*, codex Cob. omittit *est*.

22. Paris. *et nunc jam*, codex Cob. *et tu nunc jam*. Mox hic *legas*, ille *legis*.

Quo fugis, infelix, degunt ubi mille Catones,
Mille, quibus tantum seria lecta placent?
Cum censore, miser, frigido laedere, rubesces,
Cumve minus poteris, laese, redire voles.
Vana tui quaeso domini praesagia sunto,
Sitque timor vanus, thusque piperque teges.
I, verum auctoris rogitet si nomina lector,
Immemorem nostri nominis esse refer.

XXXV.

Venetum carmen XXXIII. Epigraphe nostra est Parisiensis, Bandini et codicis Coburgensis. Venetus *ad librum*, nil ultra.

2. Venetus solus *quis te jam nostra ducit ab aede, liber?*

6. Paris. et Venetus *laedere*, codex Cob. *sedere*.

7. Secuti sumus Parisiensem et codicem Coburgensem. Venetus *vana meae forsan sunt haec praesagia mentis*.

8. Paris. et codex Cob. *sitque*, Venetus *estque*. Tum Paris. et Venetus *thusque piperque*, codex noster *thus piperque*. Martialis III, 2. *libelle, festina tibi vindicem parare, ne thuris piperisque sis cucullus*.

9. I est scriptura codicis Coburgensis, pro qua Parisiensis habet *et*; in reliqua versiculi parte uterque consentit. At Venetus *si roget auctoris lucrumque et nomina lector*.

XXXVI.

CABALLUS FAME PERIENS DE LELPHO LUSCO DOMINO CONQUERITUR.

Si qua tuus queritur, cupidissime Lelphe, caballus,
Da veniam, macies cogit et alta fames.
Pulcer equus certe, velox pinguisque fuissem,
Pectora quam sint et fortia et ampla vide,
Aptaque sint videas quam cetera membra peraeque.
Quod natura dedit, sumpsit avara manus.

XXXVI.

Est carmen Venetum XXXII. Epigraphen edi jussimus Parisiensem. Codex noster consentit, omisso tamen *domino*, neque fere dissentit Bandinus, nisi quod pro *Lelpho*, in opere illius, forsan operarum vitio, legitur *Delpho*. Venetus autem *caballus fame moriens de Lelpho domino conqueritur*.

3. Paris. et codex Cob. *certe*, Venetus *certus*.

4. Paris. *pectora quam sint et fortia*, codex Cob. *pectora quam sint fortia*, omisso *et*, Venetus *pectora quam mea sint fortia*. In fine Venetus solus *vides*.

5. Paris. et Venetus *aptaque*, codex Cob. *actaque*.

Ah quotiens phaleris tectus fera bella subissem!
Ah quotiens cursus praestitus esset honos!
Rodo nihil, rodit sed nostras inedia vires,
Non etiam nostris dentibus herba datur.
Vix mihi dat noster paleas aliquando dominus,
Barbariem metro barbarus ille dedit.
Turpe quidem dictu, sed cogit turpia fari
Turpis herus, proprio stercore pascor ego.
Stercore pascor enim, sed stercore pascimur ambo,
Nam tu ne comedas, non, vir avare, cacas,
Neve bibas etiam, non mejere, Lelphe, videris.
Extitit, ut perhibent, dira Celaeno parens.
Sella carens lanis quae fecerit ulcera dorso,
Lusce, vides, caudae vulnera, lusce vides.

---

7. 8. Parisiensis et codex noster his *quotiens*, Venetus *quoties*. Codex noster solus *falleris* pro *phaleris*.

18. Celaeno una Harpyiarum. Juvenalis VIII, 130. *unguibus ire parat nummos raptura Celaeno.*

Cur equitans aspris calcaribus ilia tundis,
Si vix sat plane debilis ire queam?
Cur agilis vis dem crudelis in aëra saltus,
Tibia si nequeat lassa movere pedem?
Ipse quidem collo mallem vectare quadrigas,
Degere quam miseri sub ditione viri.
Ocius affectem pistrino, Lelphe, dicari,
Sub te funestam quam tolerare famem.
Vera quis haec credat, nisi credunt vera molares?
Ferrea sunt longa frena comesa fame.

---

21. Codex Cob. *tundis*, Parisiensis et Venetus *fodis*, invito metro.

23. Nostra scriptura est Parisiensis et codicis Coburgensis, Venetus *agiles* pro *agilis*, et *aëre* pro *aëra*.

24. Parisiensis *si nequeat*, Venetus *cum nequeat*; codex Coburg. *si nequeam*.

25. Paris. cum Veneto *mallem*, codex Cob. *malle*.

26. Paris. et Venetus *sub ditione*, codex Cob. *sub condictione*.

30. Paris. et codex Cob. *sunt*, Venetus *stant*. Hic et Parisiensis mox *comesa*, codex Cob. *conmensá*, uti supra XXXIV, 4. *crans* pro *cras*.

Ordea cornipedi dulcis datur esca caballo,
  Sorbuit hos nunquam sed mea bucca cibos.
Vera loquar, verum quis possit credere ventrem
  Duntaxat vento vivere posse meum?
Est mihi, vae misero, macies incognita toto
  Corpore, et infractis artubus ossa sonant.
Sim licet informis, simque aridus, hoc mage malim,
  Quam Lelphus vacui pectoris esse velim.
Est Lelphus rationis inops et mentis egenus,
  Corpus ei ut sus trux efferitate riget.

---

32. Paris. cum Veneto *hos*, codex noster *os*.

33. Paris. et codex Cob. *vera loquar*, Venetus *vana loquor*.

37. Paris. et codex Cob. *mage malim*, Venetus *tamen ante*.

40. Edi jussi scripturam Parisiensem, quam et codex noster sequitur, nisi quod pro *ut sus trux* exhibet *ut trux sus*. At Venetus *cui suis est venter, crus feritate riget*, ad vitandam duriorem illam verborum constructionem.

Quum loquitur, boat ut bos, et flat putor ab ore,
Ut dubius perstes, culus an os loquitur.
Quum ridet, fauces inhiant, ut asellus hiascens,
Fit mihi de risu nausea saepe suo.
Plura equidem quererer, quoniam sunt plura, sed heu heu
Lingua loqui plus nunc debilitata nequit.
Jam morior; socii, stabulum, praesepe, valete.
Me miserum, videor debilitate mori.
Vos procul ite, ferae, procul hinc vos ite, volucres;
Quo ruitis, modo vos pellis et ossa manent.

---

42. Sequimur Parisiensem editorem et codicem Coburgensem. Mollior est versiculus Veneti *ut laedat nares tetra cloaca minus.*

43. Paris. et codex Cob. *fauces inhiant*, Venetus *fauces retegit.*

44. Ovid. Remed. amoris 356. *non semel hinc stomacho nausea facta meo.*

46. Paris. et Venetus *debilitata nequit*, codex Cob. *debilitate nequit.*

50. Martialis I, 61. *quod ruet in tergum?*

Plaudite, nam Lelphum luscum mandetis avarum,

Ille crucis poenas furcifer ille dabit.

XXXVII.

AD LIBELLUM, UT FLORENTINUM LUPANAR ADEAT.

Si domini monitus parvi facis, i, fuge, verum

Florentina petas moenia, parve liber.

Est locus in media, quem tu pete, festus in urbe,

Queve locum possis gnoscere, signa dabo.

5 Alta Reparatae scitare palatia divae,

XXXVII.

1. Martialis I, 4. i, fuge; *sed poteras tutior esse domi:*

5. Parisiensis *Reparatae*, codex Coburgensis *liparatae.* Templum intelligit Antonius suo tempore atque etiam nostro Florentinae urbis primarium, sanctae Reparatae olim dicatum, nunc sanctae Mariae Floridae dictae consecratum, de cujus dedicatione Nicolaus Macchiavellus libro quinto Historiae Florentinae p. 256. exempli Latini Argentinae anno 1610. excusi, *hac igitur via*, inquit,

Aut posce agnigeri splendida templa dei.

---

conciliata pontificis (Eugenii IV) *benevolentia visum fuit Florentinis, postquam nimirum templum primarium, quod sanctae Reparatae appellatur, jam olim aedificari coeptum, eo usque jam perductum fuisset, ut sacra in eo commodum peragi jam possent, pontificem rogare, ejus dedicationem in se transferre dignaretur, idque non aegre impetrarunt.* In illo ipso templo Julianus Mediceus, Cosmi nepos, anno 1478 trucidatus est, teste Angelo Politiano in conjurationis Pactianae commentario: *ecce tibi ante tempus conjuratorum manus sciscitabantur, ubi Laurentius? ubi Julianus? Dicunt in templo divae Reparatae. Eo contendunt.* Petrus Brichius versiculis 142. 43. Cosmiadis, tomo II. Carm. ill. Poet. Ital. p. 467.

Haeret adhaec animo Reparatae virginis ingens
In gremio divae jam conspiratio facta.

Splendidissimum hoc templum aedificari coeptum est circa annum 1294. Audias Raphaelem Brunonem libro inscripto: Ristretto delle cose piu notabili della citta di Firenze, edito Florentiae anno 1698. pagina 10. rem ita narrantem: *Questo grand' edifizio* (chiesa metropolitana chiamata santa Maria del fiore) *ebbe cominciamento l'anno* 1294, *o com' altri vogliono il susseguente, essendo prima in questo luogo una chiesa molto divota, eretta in onore di santa Reparata, per ricordanza dell' insigne vittoria ottenutasi nel di lei giorno*

Heic fueris, dextram teneas, paulumque profectus

---

contro Radagasio, re de' Goti. Il primo architetto fu maestro Arnolfo di Lapo, o di Cambio, discepolo di Cimabue, sotto la direzione del quale incominciatasi questa fabbrica, dopo cento cinquanta quattr' anni fu da vari architetti suoi successori quasi all' ultima perfetione condotta. Ma la gran cupola fu parto dell' ingegno maraviglioso di Filippo di Ser Brunellesco, artefice, che ne suoi tempi non ebbe uguale. Plura de magnifico illo artis architectonicae monumento, praesertim de tholo admirandae altitudinis (hinc *alta* palatia) vide sis in Volkmanni libro Germanice scripto: *Historisch-kritische Nachrichten von Italien*, tomo I. pag. 526 — 530. De sancta Reparata virgine Caesareensi, quae sub Decio dicitur periisse, addere juvat verba Caesaris Baronii in Martyrologio Romano ad diem VIII. Octobris: *eodem die Caesareae in Palaestina passio sanctae Reparatae virginis et martyris, quae cum nollet idolis sacrificare, sub Decio imperatore variis tormentorum generibus cruciata demum gladio percutitur, cujus anima in columbae specie de corpore egredi coelumque conscendere visa est.*

6. Codex Cob. *agniferi*, Parisiensis *agnigeri*. Sic noster infra in epistola ad Petrum Lunensem ducem Mediolanensem appellat *anguigerum*.

Siste, vetusque petas, fesse libelle, forum.
Heic prope meta viae est, heic est geniale lupanar,
Qui sua signa suo spirat odore locus.
Huc ineas, ex me lenasque lupasque saluta,
A quibus in molli suscipiere sinu.
Occurret tibi flavae Helene, dulcisque Mathildis,
Docta agitare suas illa vel illa nates.

---

7. Hoc versu septimo et mox nono pro *heic*, quae est scriptura Parisiensis, codex Cob. ter exhibet *hic*.

8. Recepi *petas* ex codice nostro, nam Paris. habet *petes*.

9. *Viae* est codicis nostri, Parisiensis *via*.

13. *Mathildis* est itidem codicis nostri, Paris. *Mathildes*.

14. Martial. VII, 9. *de cute quid faciat* ille vel ille *sua*. Ovid. Amor. I, 8, 84. *et faciant udas* illa vel illa *genas*. Pacificus Maximus Eleg. XIII, 15. *quando* illa vel illa *placebit*. Crissatrices sunt Helene et Mathildis, uti mox Pitho, quae tamen maxima. Crissari vult Naso, cum jubet Amor. III, 14, 26. *spondaque lasciva mobilitate tremat.* Crissabat uxor Virronis, *ad quem pervenit lecti sonus*, cum blaret Naevolo, mariti paediconi, Juvenal. IX, 78.

Te viset Jannecta, sua comitante catella,
Blanda canis dominae est, est hera blanda viris.

---

15. Sic etiam Nichinam, scortum illud egregium Senense, canes in deliciis habuisse vidimus supra XXX, 18.

16. Edidimus *est hera* cum Parisiensi. Codex Cob. *et hera.* Atqui passim noster eadem verba sic geminat, vide Append. II, 56. 76.

17. Juvenal. VI, 121, 22. 23. de Messalina:

Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque suam, tunc nuda papillis
Constitit auratis.

Prostabant meretrices nudae in lupanaribus Romanorum. Hinc de illa ipsa Messalina Juvenalis loco citato: *ostendit tuum, generose Britannice, ventrem.*

Dio Cassius LXXIX, 13. de Heliogabalo: ἐν τῷ παλατίῳ οἴκημά τι ἀποδείξας ἐνταῦθα ἠσέλγαινε, γυμνός τε ἀεὶ ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ ἑστὼς, ὥσπερ αἱ πόρναι. Petronius cap. 7. *cum ego negarem me cognoscere domum, video quosdam inter titulos nudasque meretrices furtim spatiantes. Tarde, imo jam sero intellexi, me in fornicem esse deductum.* Neque id mirum, cum in balneis non dubitarent mares et feminae promiscue lavari.

Mox veniet nudis et pictis Clodia mammis,
Clodia blanditiis grata puella suis.

Martial. VII, 34. ad Lecaniam, servum subligaculo inguina succinctum secum ducentem:

Sed nudi tecum juvenesque senesque lavantur;
An sola est servi mentula vera tui?

Idem XI, 76. ad Coeliam:

Theca tectus aënea lavatur
Tecum, Coelia, servus. —
Non vis, ut puto, mentulam videre.
Quare cum populo lavaris ergo?

Gliscente morum severitate tentavit pristinam licentiam lege tollere Adrianus. Spartianus cap. 18. *lavacra pro sexibus separavit.* Vicit tamen vetus consuetudo legem, nam alioquin opus non fuerat nova lege, qua teste Julio Capitolino cap. 23. Marcus Antoninus *lavacra mixta sustulit.* Post indulsit consuetam voluptatem molle ingenium Heliogabali. Rursus prohibuit Alexander Severus, de quo Aelius Lampridius c. 24. *balnea mixta Romae exhiberi prohibuit, quod quidem jam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiserat.* Tandem synodorum ecclesiasticarum decretis mos jucundus intra fines quidem imperii olim Romani fere evanuit, sero tamen ac pedetentim. Accipe ex Operibus Poggii p. 298. quantum saeculo adhuc quinto decimo regnaverit licentiae Thermis Helvetiorum: *nam cuivis licet visendi, colloquendi, jocandi ac laxandi animi gratia aliorum balnea adire,*

Galla tuo peni vel cunno, nam tibi uterque est,
Injiciet nullo tacta rubore manus,

---

adstare, adeo ut et cum exeunt et ingrediuntur aquas feminae majori parte corporis nudae conspiciantur. Nulla suspicio inhonesti. Pluribus in locis qui viris et mulieribus quoque ad balnea est ingressus, ut saepissime accidat, et virum feminae nudae, et feminam viro nudo obviam ire. Cernunt viri uxores tractari, cernunt solum cum sola, nihil his permoventur. Sic transeunt gaudia mundi! Aliae gentes hodieque promiscue lavant, ut Finnones, teste Josepho Acerbide, *Magazin von merkw. Reisebeschreibungen XXVI*, 228. Sed, ut aliud ex alio, varias artes excogitavit libido divitum, ut fruerentur spectaculo nudarum puellarum. Tiberius Caesar nudis puellis ministrantibus coenabatur: Sueton. Tib. c. 42. *Sestio Gallo, libidinoso ac prodigo seni, coenam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret aut demeret, utque nudis puellis ministrantibus coenaretur.* Celeberrimas luxu famaque epulas Tigellinus paravit Neroni: Tacitus Annal. XV, 37. *in stagno Agrippae fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium aliarum tractu moveretur. Crepidinibus stagni lupanaria adstabant, inlustribus feminis completa, et contra scorta visebantur nudis corporibus. Jam gestus motusque obsceni, et postquam tenebrae incedebant, quantum juxta nemoris, et circumjecta tecta consonare cantu et luminibus clarescere.* Con-

Annaque Theutonico tibi se dabit obvia cantu,
Dum canit Anna, recens afflat ab ore merum.

---

vivium illud Alexandri VI. pontificis Romani inlaudati, quis est qui nesciat post Thummelii nostri Itinera? Repetamus autem locum festivum Joannis Burchardi, cujus quidem simplicitati memoriam rei debemus, ne alio te amandari queraris, ex ejus Diario a Leibnitio anno 1696 edito p. 77. *Dominica ultima mensis Octobris in sero fecerunt coenam cum duce Valentinensi in camera sua in palatio apostolico quinquaginta meretrices honestae, Cortegianae nuncupatae, quae post coenam chorearunt cum servitoribus et aliis ibidem existentibus, primo in vestibus suis, deinde nudae. Post coenam posita fuerunt candelabra communia, mensae cum candelis ardentibus, et projectae ante candelabra per terram castaneae, quas meretrices ipsae super manibus et pedibus nudae candelabra pertranseuntes colligebant, papa, duce et Lucretia sorore sua praesentibus et adspicientibus. Tandem exposita dona ultimo, diploides de serico, paria caligarum, bireta et alia, pro illis, qui plures dictas meretrices carnaliter agnoscerent, quae fuerunt ibidem in aula publice carnaliter tractatae arbitrio praesentium, et dona distributa victoribus.* Quibusdam placuit amicas amicis nudas ostendere. Cui non dictus Gyges, a Candaule, Lydorum rege, uxorem nudam spectare malo consilio jussus? Cajus Caesar, cognomento

Te quoque conveniet crissatrix maxima Pitho,
Qua cum deliciae fornicis Ursa venit,

Caligula, Suetonio teste Calig. cap. 25. *Caesoniam et ardentius et constantius amavit, ut saepe chlamyde peltaque et galea ornatam et juxta adequitantem militibus ostenderet, amicis vero etiam nudam.* Vis tu et ipse nudam cernere Caesoniam? Evolvas Monumens de la vie privée des douze Césars, et tabulam quidem XXVI aeri incisam. Nostra etiam aetate, ut me alicubi legere memini, Ludovicus XV. Francogallorum rex legitimus, Barriae pellicis in lecto jacentis et somnum tecto lumine simulantis monstravit amico clunes nudatas, quas tanquam deae jussit hominem genubus flexis deosculando adorare, quod illico facere non dubitavit adulator.

18. Quippe scit Clodia opus et voce et manu blande juvare. Ulcus habet, uti Phlogis apud Martialem XI, 61. *quod habere suam vult quisque puellam.* Nec imitatur uxorem Martialis, XI, 105. tanta gravitate coire solitam, ut thura merumque diis parare videretur, nec Chionem ejusdem, XI, 61. quam absentem marmoreamque putes, nec Laufejam fatuam apud eundem III, 72. Sequitur praecepta Joannis Joviani Pontani carmine XLVI. Amorum p. 195. exempli Merceriani:

Muta Venus mihi nulla placet, suspiria misce,
Aptaque lascivis garrula verba jocis.
Nec manus officio desit, manus aemula linguae est,
Haec tactu Venerem suscitat, illa sono.

Teque salutatum transmittit Thaida vicus
Proximus, occiso de bove nomen habens.
Denique tam celebri scortorum quidquid in urbe est
Te petet, adventu laeta caterva tuo.

Sequitur praecepta Nasonis Amor. III, 14, 25. *Illic nec voces, nec verba juvantia cessent.* Nec cedit illi, de qua Tibullus I, 10, 63. 64.

Illa nulla queat melius consumere noctem,
Aut operum varias disposuisse vices.

Pertinebant forsan ad blanditias Clodiae etiam oscula Italis Florentina dicta, quibus adprehensis utrimque puerorum auriculis eos pressim dissuaviantur. Tibull. II, 5, 92. *oscula comprensis auribus eripiet.*

23. Paris. *Pitho*, codex Cob. *Picho*. Ovid. Amor. III, 7, 23. 24.

At nuper his flava Chie, ter candida Pitho,
Ter Libas officio continuata meo.

Crissatricis motus dicitur *vannere* apud Lucilium: Sat. libro XI. *crissavit, ut si frumentum clunibus vannat*, et libro VII. *hunc molere, illam autem ut frumentum vannere cunnis*, ubi tamen pro *cunnis* legendum videtur aut *clunibus* aut *lumbis*. Testis Nonius Marcellus I, 69.

24. Paris. *quacum*, codex Cob. *quicum*.

26. Paris. *occiso*, codex Cob. *ociosa*.

27. Paris. *tam*, codex Cob. *jam*.

Heic obscena loqui, simul et patrare licebit,
Nec tinget vultus ulla repulsa tuos.
Heic quod et ipse potens, quod et ipse diutius optas,
Quantum vis futues et futuere, liber.

XXXVIII.

AD COSMUM DE LIBRI FINE ET DEDICATIONE.

Cosme, vale, vatum spes et tutela novorum,
Jamque suos fines Hermaphroditus habet.

---

28. Recepi *caterva* ex codice nostro, nam Parisiensis editor dat *catena*. Supra XXX, 19, *juvenum me sollicitante* caterva.

29. Hoc versiculo et tricesimo primo Paris. *heic*, codex Cob. *hic*.

31. Parisiensis *potens*, codex Coburgensis *potes*.

XXXVIII.

Apud editorem Parisiensem et Bandinum est carmen XXXVIII, in codice autem Coburgensi XXXIX, praemittitur enim carmen de ortu atque obitu Hermaphroditi, quod nos in appendicem rejiciendum putavimus. Epigraphen dedimus codicis nostri. Post *Cosmum* addit Parisiensis *virum clarum*, Bandinus *virum clarissimum;* inseruit etiam Bandinus totum carmen operi suo.

Cum nequeat majus, nam turbant otia curae,
Hoc tibi quodcunque est devovet auctor opus.

---

1. In codice Coburgensi scribitur hoc loco et perpetuo *Hermofroditus*.

In fine additur ab editore Parisiensi: *Hermaphroditi libellus secundus et ultimus explicit feliciter ad Cosmum Florentinum virum clarissimum. Vale.* Apud Bandinum subditur: *Hermaphroditi libellus secundus et ultimus explicit feliciter. Ad Cosmum virum clarissimum ex Medicorum progenie illustri.* In codice Coburgensi: *Hermofroditi libellus secundus et ultimus foeliciter explicit. Deo gratias. Amen.*

APPENDIX HERMAPHRODITI.

I.

DE ORTU ATQUE OBITU HERMAPHRODITI.

Cum mea me genitrix gravido gestaret in alvo,
Quid pareret fertur consuluisse deos.

I.

Est carmen XXXVIII libri secundi Hermaphroditi in codice Coburgensi. Extat de hoc carmine dissertatio Bernardi Monetae, tomo quarto Menagianorum adjecta, qua docet auctor, esse illud non ab Antonio Panormita, sed ab Henrico Pulice Vicentino, poëta saeculi quartidecimi, compositum, fuisse vero jam Angeli Politiani aetate, qui communi nomine decepti Antonio adjudicarent poëma, quod Bernardo quidem Monetae tam tersum atque elegans visum est, ut illo judice

Mas est Phoebus ait, Mars femina, Junoque neutrum,
Cumque forem natus, Hermaphroditus eram.

Antonii ingenium aliquid tale fingere neutiquam potuisset, quippe quo in omni Anthologia nihil reperiatur facetius, nihil venustius. Typis editum est saepenumero, praesertim cum inter antiqua epigrammata retulisset Josephus Scaliger in Catalectis Virgilianis. Recepit etiam in Anthologiam Latinam Burmannus secundus tomo I. p. 620. Graece verterunt Politianus, Lascaris, Bernardus Moneta. Nomen Pulicis transiit in Pullicem apud Lilium Gyraldum, in Duplicem apud Laurentium Vallam, in Pollucem apud Josephum Scaligerum, quem sequitur Bandinus, qui primum ultimumque versiculum operi suo inseruit tomo II. p. 111. ex illo ipso codice bibliothecae Mediceae Laurentianae, unde inscriptiones epigrammatum Hermaphroditi descripserat, licet in codice recte legatur Pulex. Habet enim carmen nostrum in Florentino codice titulum hunc: *Pulex de ortu atque obitu Hermaphroditi.* Itaque differt Florentinus codex a Coburgensi in eo, quod ille nomen auctoris addit, hic non addit, deinde vero etiam in eo, quod hic carmini Puliciano locum tricesimum octavum inter ipsa epigrammata libri secundi Hermaphroditi tribuit, ille demum post Hermaphroditum separata epigraphe distinctum profert. En quae de

Quaerenti letum sic Juno ait, occidet armis,
Mars cruce, Phoebus aquis. Sors rata quaeque fuit.

Pulice tradit Gerardus Vossius libro III. cap. VII. praeclari operis de Historicis Latinis: *Etiam Henrici VII. temporibus claruit Pulex de Custoza, quomodo dictus ab oppido agri Vicentini, haud longe ab urbe dissito. Hunc Jo. Bapt. Pajarinus in ingressu operis sui inter historicos refert, quos secutus sit duces. „Sum,“ inquit, „secutus in hoc „opusculo brevi Magistrum Coperium, antiquissi-„mum rerum Vicentinarum scriptorem, Ferretum „Vicentinum, Benevenutum Capezanum, Pulicem „de Custoza, Magistrum Leoninum de S. Porta „S. Petri, et Antonium de Godis, omnes hujus „civitatis“ (Vicentiae) „antiquitatum scriptores.“ Aetatem Pulicis ex his ejusdem verbis cognoscimus: „Claruit in ea“ (familia de Pulicibus) „anno do-„mini 1310 Pulex de Custoza, qui heroico carmi-„ne multa scripsit.“ Sed plenius de eodem paulo ante dixerat: „Fuit et Pulex de Custoza, qui he-„roico carmine Caesaris“ (Henrici VII.) „adven-„tum in Italia scripsit. Sunt autem versus octua-„ginta quinque. Scripsit et soluta oratione, mul-„tosque alios versus. Fuit hic filius Joannis Boni, „et fratres habuit duos, Confortum et Jacobum.“ Idem Pajarinus alio in loco: „Pulex scripsit etiam „carmen in adventum Caroli IV in Italiam anni „1347. poëta suo quidem tempore clarus et litera-*

Arbor obumbrat aquas, ascendo, decidit ensis
Quem tuleram casu, labor et ipse super.

„*tissimus.*" *Atque horum, ut dixi, vir clarissimus Felix Osius mihi indicium fecit.* Hactenus Vossius. Vetus exemplum poëmatis nostri reperitur in Epistolis magni Turcae (Muhammedis II.) a Laudivio Zacchia, equite Hierosolymitano, Latine redditis, quibus Romae typis Jo. Philippi de Lignamine anno 1473 quaternis editis in fine adjectum legitur, unde descriptum debeo Eberto, quae est viri eruditissimi humanitas.

1. Bandinus *dum*, ceteri libri cum codice Coburgensi *cum*. Deest *me* in codice nostro; recepi metro jubente ex libris editis, consentiente Bandino. Mox edi jussi *gravido*, exemplum Romanum et codicem nostrum secutus, quam scripturam et a Nestore confirmari in Vocabulario, et a Schradaeo in Monumentis Italiae testatur Burmannus loco citato Anthologiae. Vulgo *gravida*; sic etiam Bandinus. Conferas Hermaphrod. II, 1, 8. *sed tales epulas non* meus *alvus edit*.

2. Exemplum Romanum *pariat*, reliqui omnes *pareret*.

3. Romanum exemplum *mas sibi*, ceteri omnes *mas est*.

5. Codex Coburgensis *letum Juno sic ait*. Apud Nestorem teste Burmanno *letum sic Juno ait*, quemadmodum nos edidimus. Schradaeus praeeunte ex-

Pes haesit ramis, caput incidit amne, tulique
Femina vir neutrum flumina tela crucem.

II.

ELEGIA PANORMITAE AD JOANNEM LAMOLAM, QUOD LACRYMIS ELEGIAE MOTUS FRACTUSQUE EX BONONIA NEQUIVERIT RECEDERE.

Desine me placida verbis abducere terra,
Desine me domina dissociare mea.

---

emplo Romano *letum Juno ait*, omisso *sic*. Vulgo *letum dea sic ait*.

6. Codex Coburg. *aquas*, et mox *quoque*; vitiose. Libri editi *aquis* et *quaeque*. Pro *fuit* Romanus editor solus *tulit*.

7. Romanus editor *aquis*, *conscendo*, reliqui omnes *aquas*, *ascendo*.

9. Codex Cob. *anne tulitque*. Exempla typis impressa *amne tulique*. Romanus editor solus *subiit caput amne tulique*.

II.

Hanc elegiam et carmina tria sequentia subjicit codex Coburgensis Hermaphrodito. Recepit elegiam et Florentinus editor carminum illustrium poëtarum Italorum tomo II. p. 113 — 116. Epigraphen dedimus Florentinam, codex enim noster

Vera mones, fateor, pulcreque adducis Ulixem
Fortiter aequoreas deseruisse deas,
Liquerit ac flentem dux ut Trojanus Elisam,
Multa licet surdo spondeat ipsa proco.
Addis ad haec etiam, quod non ornatius ipse
Tullius aut gravius scripserit ipse Plato,

---

habet *Ponormitae* et *nequierit*, atque omittit *Joannem* ante *Lamolam*, et *que* post *fractus*. Joannes Lamola *doctus inprimis adolescens et emendatus literis* appellatur ab Antonio in epistola ad Bartholomaeum Pontificem, fol. 38. libri Veneti. Ad ipsum Lamolam scripsit Antonius ibidem fol. 84. inter alia haec: *velim deleres ex animo Florentiam, sit licet deorum, ut ais, domicilium. Non tali auxilio, nec defensoribus istis tempus eget. Satis enim superque discipulus et scholasticus fuisti. Nunquamne repones? nunquamne prospicies utilitati? senesces jam inter pueros? inter ludos literarios senesces? Proinde mihi renunties velim, an mecum optes vivere, an sedem tibi conquiram et firmem hic gentium. Nam spero, comperturum me virum tibi magnificum et eruditum, cui si literarum Graecarum rudimenta impartias, retribuat tibi philippeos centum annuos, et victum, et spem etiam amplioris fortunae.*

5. Codex Cob. *liquerit ac*, Florentinus *fugerit et.*

7. Cod. Cob. *ad haec*, Florent. *ad hoc.*

Denique quod possit firmos mutare Epicuros,
Aut si quid toto firmius orbe fuit.
Me quoque mutaras, nostra de mente puella
Deciderat, muros linquere mentis erat.
Tum subeunt nostri praesignia Caesaris acta,
Quae modo militia, quae modo pace gerat,
Quin et Maecenas obversabatur ocellis,
Quem diis persimilem saecula nostra ferunt.
Tum simul heroicos versus meditabar, et ignes
Aut elegos animo destituisse fuit.
Sensit Amor mentem nostram, retulitque puellae.
Quis divum frustra numen habere potest?
Flens Elegia venit, sic nostra puella vocatur,
Tum primum nostros vidit amica Lares.
Gratia magna tibi sit, Lamola, tu facis ad me,
Tu facis ad thalamos iverit illa meos.

---

10. Cod. Cob. *si quid*, Florent. *si quod.*

11. Florent. *mutaras*, codex Cob. perperam *mutatas.* Tibull. III, 1, 20. *an toto pectore deciderim.*

13. Caesar est Sigismundus, mox Maecenas Cosmus Mediceus.

15. Florent. *obversabatur*, cod. Cob. *adversebatur.*

Bella prius fuerat, bellas superabat et omnes,
Tum facie vel se vincere visa mihi est.
Induit, adjures, vultus Elegia dearum,
Sive tuos Juno, sive Diana tuos.
Facta est splendidior, facta est redolentior aedes,
Arrisit paries adveniente dea.
Sicut eram monitu flexus, sed certus eundi,
Adstitit, et nostro tabuit illa sinu.
Non potuit primo, quamvis bis terque iterumque
Atque iterum fuerit nixa, puella loqui.

---

25. Cod. Cob. *omnes*, Florent. *omnis.*

26. Cod. Cob. *facie*, Florent. *faciem.* Tum ille *vincere mihi visa est*, hic *vincere visa mihi est.*

27. Codex Cob. *adjures*, Florent. *ad vires.*

29. Codex Cob. *redolentior*, Florent. *renidentior.*

31. Codex Cob. *flexusque certus*, Florent. *flexus et certus*; utrumque invito metro. Scribendum putavi *flexus sed certus.* Saepius commutari *sed* et *et* scribarum negligentia observarunt viri docti ad Liv. XXI, 26. et Catull. LXVI, 22. Videtur Antonius ob oculos habuisse Virgilianum illud Aen. IV, 554. *Aeneas celsa in puppi jam certus eundi*, unde non repugnaverim, si malueris *flexus jam certus.*

Pro verbis lacrymae, lacrymae pro voce fuerunt.
Quale, dei magni, pondus habent lacrymae!
Nam me flexerunt, quanquam potuere quadrigas
Solis et irati sistere tela Jovis.
Mens mihi mutata est. Heroum gesta valete,
Maecenasque tua cum probitate vale.
Vos quoque grandisoni longe procul ite cothurni;
Possidet ingenii jus Elegia mei,

---

36. Ovid. Amor. II, 19, 18. *oscula*, **di magni**, *qualia quotque dabat!*

38. Ovid. Amor. II, 5, 51. 52.

> (Oscula) *ex animo dedit optima, qualia possent*
> *Excutere* irato tela *trisulca* Jovi.

39. Ovid. Amor. II, 1, 35. 36. *heroum clara valete nomina.* I, 1, 28. *ferrea cum vestris bella valete modis.*

42. Ludov. Carbo, lector gymnasii Ferrariensis ab anno 1456 ad annum 1465 teste Borsetto in Historia almi Ferrariae gymnasii parte II. p. 89. in carmine manu scripto fol. 184. codicis Coburgensis: *Borsius omne meum possidet ingenium.*

Utque elegi imbelles nobis sine fine placerent,
Lux mea de tali carmine nomen habet.
Qui potuit primus dominae contemnere fletus,
Quisque fuit, vere saxeus ille fuit.
Ferreus Aeneas, de tigride natus Ulixes,
Durus Virgilius, durus Homerus erat.

---

45. Codex Cob. *primo*, Florent. *primum*. Tibull. III, 2, 1. 2. 3. 4.

Qui primus caram juveni carumque puellae
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta conjuge qui potuit.

Idem I, 11, 1. 2.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!

Ovidius Amor. III, 6, 59. 60.

Ille habet et silices et vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrymas lentus in ore videt.

47. Ovid. Metamorph. VII, 32. 33.

Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam,
Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor.

Ludov. Carbo in carmine manuscripto jam citato eodem codicis nostri folio:

Tigribus asperior, Lernaea saevior hydra,
Durior es scopulis, durior es chalybe,
Si potes in talem sensus deflectere mentem, ut
Sustineas tantum deseruisse ducem.

Scilicet humano mollique ex sanguine cretus
Non hominum movear luctibus et crucier!
Qui tribuit lacrymas homini deus, inde fatetur
Ex lacrymis, idem et mollia corda dedit.
Desine me placida verbis abducere terra,
Desine me domina dissociare mea.

Idem in alio poëmate folio codicis nostri proximo:

Ferreus ille quidem, Armenia de tigride natus,
Durior et scopulis, durior et chalybe,
Qui carae patriae mollissima jussa recuset.

49. Cod. Cob. *cretus*, Florent. *natus.*

51. 52. Respicit locum Juvenalis XV, 131 — 133.

Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Quae lacrymas dedit.

Florentinus *ex lacrymis* quo vel *mollia corda dedit;* Codex Coburgensis *ex lacrymis* quidem vel *mollia corda dedit.* Neutrum stare potest. Feci *ex lacrymis*, idem et *mollia corda dedit*, verbis *inde fatetur ex lacrymis* in parenthesi positis. Conferas etiam Tibullianum illud III, 6, 16. *et indomitis mollia corda dedit.*

54. Cod. Cob. vitiose *placida* pro *domina*, quae est scriptura Florentini.

Postquam mens rediit nymphae, sic pauca locuta est,
Pauca solet semper, semper honesta loqui:
I, si certa tuos persuadet causa recessus,
Sed me posthabitam mox obiisse puta.
Si steteris, vivam; sin ibis, luce relinquar.
Iura meae vitae iuraque mortis habes!
Vixdum finierat, cum quam mollissimus inquam:
Crede mihi, non est cur vereare necem.
Enecer ipse prius, certe prius enecer optem,
Quam tibi vel minimi causa doloris eam.
Laetus agam tecum, sine te mihi nulla futura est,
Si qua futura, tamen moesta futura dies.

---

58. Scripsi *posthabitam*, etsi in utroque libro legitur *posthabitum*.

61. Cod. Cob. *tum cum*, Florent. *cum quam*.

65. Florent. *sine te mihi nulla futura est*, cod. Cob. repugnante metro *sine te nulla mihi futura est*.

66. Codex Cob. *si qua futura est moesta*, Florentinus *si qua futura tamen moesta*, quod metro poscente recepi. Ovid. Heroid. XV, 39. 40.

Si, nisi quae facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est.

Tu mihi, tu certe jucunda et summa voluptas,
Tu mihi delicium, tu mihi dulce decus.
Tu das ingenio vires, tu suggeris oestrum,
Et vates vatum religiosa colis.
Desine me placida verbis abducere terra,
Desine me domina dissociare mea.
Jamque oculis nymphae tristis defecerat humor,
Praestiterat dictis credula nympha fidem,
Inque meos vultus nitidos erexit ocellos.
O oculos oculis sidera visa meis!
Dicite, dii, vestrum cui desunt lumina; certe
Furata est oculos nostra Elegia deis.

Idem Amor. III, 7, 17. *quae mihi ventura est, siquidem est ventura, senectus.*

67. Florent. *jucunda et sola*, codex Coburg. *jucunde et summa.*

70. Cod. Cob. *vatum*, Florent. *natum.*

77. Ovid. Amor. III, 3, 15. *dicite di.* Tibull. IV, 2, 5. 6.

Illius ex oculis, quum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

Jo. Jovianus Pontanus in Amoribus I, 7. 8. p. 148. exempli Parisiensis:

Nigraque formoso furata es lumina Amori,
Et per te coecus dicitur ille puer.

Illic insidias, illic sua tela Cupido,
Luxurians illic retia tendit Amor.
Mox mea candenti circumdat colla lacerto,
Et sua conjungit mollia labra meis,
Et centum et totidem tremula dedit oscula lingua,
Lingua suum atque suum dens peragebat opus.

---

81. Versiculi 81 — 88. desunt in libro Florentino. — Ovid. de arte amat. II, 457 — 460.

Candida jamdudum cingantur colla lacertis,
Inque tuos flens est accipienda sinus.
Oscula da flenti, Veneris da gaudia flenti;
Pax erit, hoc uno solvitur ira modo.

84. Ovid. Amor. II, 5, 57. 58.

Quod tota labellis
Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.

Jo. Jovian. Pontanus in Amoribus IV, 11. 12. p. 151. exempli Parisiensis:

Phryne, consere labra cum labellis,
Pugnent humidulae per ora linguae.

Idem IX, 17. 18. p. 155.

Ac linguam querulo cum suxerit ore trementem,
Exanimis collo pendeat ipsa tuo.

Tum mihi quae semper sint ora bilinguia sensi,
Qualia serpentes vulgus habere refert.

Idem LI, 39 — 44. p. 202.

Ne linguam nostris committas forte labellis,
Ne temere id, quod te laedere possit, agas.
Nulla fides legi, valeat reverentia legum,
Culpa tua est, partes dens aget ipse suas.
Nec sat erit suxisse genas, strinxisse labellum,
Tuta nec in clauso lingua erit ore tibi.

Idem LII, 9. 10. p. 203.

At tu quum dederis mihi suavia, consere linguam
Inter labra, meo semper et ore fove.

85. Scripsi *tum* pro *tu* codicis nostri. Jo. Jovian. Pontanus in Amoribus VIII, 3. 4. p. 154.

Cumque meis pariter conjunge labella labellis,
Pro serpente mihi sit vaga lingua duplex.

De duplici vel potius bifida sive bisulca lingua serpentum conferatur Aristoteles Historiae animalium libro II. cap. 17. ἴδιον δὲ παρὰ τὰς τῶν ἄλλων γλώττας ἔχουσι καὶ οἱ ὄφεις καὶ οἱ σαῦροι τὸ δικρόαν αὐτῶν εἶναι τὴν γλῶτταν ἄκραν, πολὺ δὲ μάλιστα οἱ ὄφεις· τὰ γὰρ ἄκρα αὐτῶν ἐστι λεπτὰ, ὥσπερ τρίχες, ἔχει δὲ καὶ ἡ φώκη ἐσχισμένην τὴν γλῶτταν. Locum philosophi ante oculos habuit Plinius Hist. nat. libro XI. cap. 65. quanquam hic serpentibus trisulcam linguam tribuit. Nec Ovidio ignota bisulca lingua serpentum: Metamorph. IX, 63 — 65.

Millia si dederit mihi basia, millia carpam,
Atque videbuntur millia pauca mihi.

Elaborque viro longum formatus in anguem,
Qui postquam flexos sinuavi corpus in orbes,
Cumque fero movi linguam stridore bisulcam.

Similiter Plautus in Persa II, 4, 28. *tanquam pro-serpens bestia est* bilinguis *et scelestus.* Idem in Poenulo V, 1, 74. bisulcilingua, *quasi pro-serpens bestia.* Illud ipsum nostrum osculari con-sertis linguis, jam Plauti aetate notum, inducit eum quoque in memoriam serpentum bilinguium, in Pseudolo V, 1, 13 — 16.

Ubi amans complexus est
Amantem, ubi labra ad labella adjungit,
Ubi alter alterum bilingui *manifesto*
Inter se prehendunt.

Nec aliud sibi volunt geminae linguae Pontani in Amoribus XXVIII, 1 — 4. p. 177.

Carae mollia Drusulae labella
Cum, dux magne, tuis premis labellis,
Uno cum geminas *in ore* linguas
Includis simul, et simul recludis.

86. Codex Cob. *serpentum*, quod emendavi.

87. Joannes Secundus Bas. VII.

Centum basia centies,
Centum basia millies,
Mille et basia centies,
Et tot millia millies,
Quot guttae Siculo mari.

Quicquid olent violae, spirant opobalsama quicquid,
Tale quid ex bucca noster olebat amor.
Jam modo non Arabes mercator, nec petat Indos;
Hic quod in eoo littore quaerit habet.
Linquat apis flores, os suggat et hujus abunde
Mella, nec Hyblaeis deteriora, dabit.

Catullus V, 7 — 11.

Da mihi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum,
Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus.

89. Hunc versum et reliquos usque ad finem rursus exhibet Florentinus editor. Juven. II, 41. *hirsuto spirant opobalsama collo.* Martial. XI, 9. *lassa quod hesterni spirant opobalsama drauci.*

91. Cod. Cob. *nec petat*, Florent. *ne petat.*

92. Scripsi *quod* pro *quid* codicis Coburgensis et Florentini.

93. Florent. *suggat*, quam scripturam supra epigrammate VII. libri secundi Hermaphroditi expressam vidimus ab editore Parisiensi. Codex Coburgensis *succet.* Vita b. Columbae Reatinae in Actis sanctorum tomo V Maji p. 340. *quatenus possint abstrusa mella ruminando* s u c c a r e. Mox Florent. *ab inde*, codex Cob. *abunde.*

Desine me placida verbis abducere terra,
Desine me domina dissociare mea.
Non hac una Venus, non unus in urbe Cupido est,
Sunt centum; non hac unus in urbe deus.
Hac etsi innumeri sint urbe deique deaeque,
Sola mihi facie bella Elegia placet,
Atque adeo grata est, quantum non grata Catullo
Lesbia, nec Gallo grata Lycoris erat.

---

94. Jo. Jovianus Pontanus in Amoribus XVI, 23. 24. p. 162.

Oscula si liceat teneris sumpsisse labellis,
Vilis Hymettus erit, vilis et Hybla mihi.

Idem ibidem L, 8. p. 201.

De labris, mea Stella, tuis mihi mella liquescunt.

Joannes Secundus Basio XIX.

Mellilegae volucres, quid adhuc thyma cana rosasque
Et rorem vernae nectareum violae
Lingitis, aut florem late spirantis anethi?
Omnes ad dominae labra venite meae.
Illa rosas spirant omnes, thymaque omnia sola,
Et succum vernae nectareum violae.

100. Florent. *facie*, cod. Cob. *faciet.*

101. Codex Cob. *non grata*, Florent. *nec grata.*

102. Ovid. Amor. I, 15. 30. *et sua cum Gallo nota Lycoris erit.*

Sunt hic praeterea veteres fidique sodales,
Sanctius hic meus est, hic Farafalla meus.
Ergo vale, et nostro scribas quandoque Guarino,
Quam salvum nostro nomine redde virum.

III.

HERMAPHRODITI AD GUARINUM VERONENSEM.

Quantum Romulidae sanctum videre Catonem,
Quantum Cephoeni volitantem Persea coelo,

---

104. Panormita ad Cambium fol. 60. libri Veneti: *hesterno vesperi redditae mihi sunt ex Bononia literae a Joanne* Farafalla, *Siculo quodam conterraneo meo, viro eloquenti, et juris civilis non solum doctore, sed etiam docto.* Idem ad Xanthium fol. 63. *a* Farafalla *nostro literas accepi; valet, sed in re tenui.* Idem ad Antonium Cremonam fol. 19. *de* Farafalla *meo si quid senseris scribe.*

105. Cod. Cob. *scribas quandoque*, Florent. *scribis si quando.*

III.

Descripsi hoc epigramma ex codice Coburgensi. Conferas Ovid. Amor. III, 15, 7. 8.

Alcidem Thebae pacantem viribus orbem,
Tantum laeta suum vidit Verona Guarinum.

IV.

GUARINI AD HERMAPHRODITUM.

Musarum decus, Antoni, per saecula salve.
Theocriton, antiquum Siculae telluris alumnum,
Effingis, prisca revocans dulcedine vatem:
Sicilides Latio per te dabit Aetna Camenas.

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo,
Pelignae dicar gloria gentis ego.

Martialis XIV, 195.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

IV.

Carmen desumtum est ex epistola illa Guarini ad Jo. Lamolam, quam supra dedimus in Testimoniis. Inest vero etiam in appendice codicis Coburgensis.

V.

EIUSDEM AUCTORIS AD QUENDAM PUERUM.

Cum nequeat nummos, mittit tibi carmina vates,
Tu tamen argento carmina pluris habe.
Excipiunt quemvis a morte, redempte, Camenae;
Carmine vivit Itys, carmine vivit Hylas.
Fortunate puer, quem dilexere poëtae;
Care puer vati, non moriere, puer.

V.

Est ultimum carmen appendicis in codice nostro, unde descripsi.

3. Codex *dempte*, quod cum ferri non posset, correxi *redempte*.

4. Ovid. Metamorph. VI, 658. 59.

Prosiliit Ityosque caput Philomela cruentum
Misit in ora patris.

Propert. I, 20, 48.

Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.

6. Ovid. Amor. I, 10, 62. *carmina quam tribuent fama perennis erit.*

Hic finis codicis Coburgensis. Librarius subscripsit: *Ἐγὼ Νικολαὸς περὶ τῶν Σεβερῶν γέγραφα περὶ τȣ̃ Σαξξωφερρατȣ̃. Ἀμὴν. Θεῷ χάριν.*

Et te sanctus amat vates, ut teque perennet
Conetur, at tu cur amet ille stude.

VI.

ANTONII PANORMITAE LAUS ELYSIAE.

Elysia, auricomas inter celeberrima nymphas,
Quae forma aut animo laus erit apta tuo?
Colla nives, et labra rosas, et lumina vincunt
Sidera, culta Helene, nuda Diana dea es.
Quum loqueris, quamvis rara et per pauca loquaris,
Sola tamen digna es multa loqui atque loqui.
Quid loquar artifices digitos, quid pensa, quid artes,
Et quibus evitas otia mille modos?
Inter opus tantum dulce, o dulcissima, cantas,
Et cantu nolens pectora multa capis.

VI.

Hoc carmen Hermaphrodito subjicit editor Parisiensis ex codice membranaceo bibliothecae Mediceae.

5. Paris. *et pauca.* Inde feci metro jubente *et perpauca.*

Nam saltu licet ipsa lyrae, licet ipsa choreae
Sis decus, ad thiasos rara vocata venis.
At si quando venis, paulum cessura labori,
Te Charites sociant, te comitatur Amor.
Quacunque incedis, spirant violaeque rosaeque,
Incedis noctu, nox fit et illa dies.
Quidquid habent omnes divi divaeque decoris,
Quidquid habent laudis, tu quoque laudis habes.
Hoc etiam felix, quod formosissima pulcro
Scilicet et casto casta puella places.
Ista puellarum decus es, decus ille virorum,
Clari ambo, et claris moribus ambo pares.
Ambos ergo deus longaevos servet in annos,
Saepius et timidos jungat utrumque Venus.

VII.

AD GALGANUM.

Quod tibi tam sero mitto, Galgane, libellum,
Da veniam; mitti noluit ipse liber.

VII.

Recepi hoc epigramma ex opusculis Panormitae Venetiis 1553 editis, ubi locum tenet inter carmina XXIV.

Saepe equidem monui, dominum pete, candide codex;
Respondit: lapides, non mea scripta legit.

VIII.

PETRO LUNENSI

RESPONDET, QUOD NOLIT DESCRIBERE BELLA NOSTRI TEMPORIS; TAMETSI SPLENDIDA ILLA SINT.

Scilicet Etrurii sunt inclyta gesta senatus
Et sunt anguigeri fortia facta ducis,

VIII.

Descripsi poëticam hanc Antonii epistolam ex tomo secundo Carminum illustrium poëtarum Italorum p. 112. 113. Petrus Lunensis Hispanus, pontifex Romanus electus anno 1394, sumto nomine Benedicti XIII. solus ex pontificibus schismaticis Constantiensi fulmine non fractus obiit nonagenarius anno 1423 in Hispania. Unde discimus, Hermaphroditum scriptum fuisse ab Antonio ante annum 1423; nugas enim, quas versiculo nono commemorat, nihil esse aliud nisi epigrammata Hermaphroditi dubitari nequit. Hermaphrod. II, 1, 24. *nugis praefera bella feram.* In eodem epigrammate versu 3. secundum Venetum *malles posthabitis* nugis *lusuque jocoque.* Item I, 27, 1. *Sancti*, nugarum *lector studiose mearum.*

Sunt et Aragonei praelustria proelia regis,
Femina Parthenope mascula bella gerit,

Item I, 13, 1. 2. Antonius a Lepidino vocatur *auctor* n u g a r u m. Etiam Martialis epigrammata sua dicere amat nugas: II, 1. *nec tantum* n u g i s *serviet illa meis.* VIII, 3. *tune potes dulces, ingrate, relinquere* n u g a s? IX, 1. *ille ego sum nulli* n u g a r u m *laude secundus.*

2. Anguigerum ducem vocat Philippum Mariam, ducem Mediolanensem, qui principatum tenuit ab anno 1412 ad annum 1447. Fuit ejus anagnostes aliquamdiu Antonius noster, teste Paulo Jovio in Vitis XII. Vicecomitum Mediolani principum p. 186. *Oblectabat otium historiarum lectione, quarum Antonius Panhormita, literarum nomine praecipuo in honore habitus, aliquamdiu fuit anagnostes.* Vicecomitum Mediolanensium, quorum progenies in Philippo Maria defecit, insigne erat anguis caeruleus ter inflexus infantem rubrum ore tenens. Rei originem audiamus eundem Paulum Jovium in praefatione operis citati exponentem: *Otho* (auctor nobilis gentis Vicecomitum nuncupatus) *ad sacrum bellum in Syriam contendit. Jam duobus asperrimis ad Nicaeam atque Orontem praeliis spectatae virtutis famam consequutus, oppugnante demum Hierosolymas Gothifredo, gloriosa totius exercitus acclamatione coronam promeruit, quum Volucem, Saracenorum ducem, medio in campo ad singulare certa-*

Ne morer, Ausonias omnis Mars efferat oras,
Cogitur atque armis gens peregrina suis.

---

men fortissimum quemque ex Christiana acie provocantem ipse unus ante alios, nihil ejus immanis barbari ferocia vel terribili insignium armorum specie permotus, fortiter atque feliciter devicit, retulitque de confossi hostis galea opimum plenumque immortali gloria spolium, auratam scilicet viperam inexplicatis spiris minaciter a cono cassidis erectam, et puerum passis manibus devorantem; quod unum auspicatae virtutis argumentum non modo gentilitiae laudis gestamen fuit, sed et posteris id insigne audacter usurpantibus et imperia et opes et late gloriam portendit. Transiit hoc insigne ad hodiernos quoque duces Mediolanenses e gente Austriaca.

3. Alphonsum V intelligit, Aragoniae et Siciliae, deinde post etiam Neapolis regem, qui regnavit ab anno 1416 ad annum usque 1458. Antonius fuit ejus ab epistolis, idemque laudator celeberrimus.

4. Femina Parthenope est Johanna II. regina Neapolitana ab anno 1414 ad annum 1435. quae mox versu 20. belligera Alphonsi regis nurus dicitur, quanquam id minus accurate, cum regem regina adoptasset.

6. Gens peregrina Italicis coacta armis videtur esse Dalmatica, quam Veneti bello cum Hungaris gesto secundo decennio saeculi quinti decimi in potestatem suam redegerunt.

Magna quidem sunt haec, et magno digna poëta,
Dignaque percupida posteritate legi,
Quaeque ego praetulerim nugis, quaeque ilicet ausim
Atque suo atque gravi composuisse pede.
Si nescis is sum, qui Virgilios et Homeros
Malim quam Gallos Callimachosque sequi.
Quamvis hi Veneres, quamvis hi bella reponant,
Attamen auctori gloria cuique sua est.
In pretio est, pulcre teneros qui flevit amores,
In pretio pulcre est arma virumque canens.
Sed mihi, nescio cur sicut tu, sicut et alter,
Maluerim ex bellis inde venire tonos.
Dixeris ergo canas Martem ducis atque senatus,
Sive canas regem belligeramque nurum.
Verum qualis erit ducis elargitio vati?
Qualia, dic sodes, praemia regis erunt?
Aut nulla, aut certe quam parva, simillima nullis,
Et quibus haud chartas, quas perarabis, emas.

Usque adeo nostra sub tempestate tyranni
 Pro nihilo sacri carmina vatis habent.
Sit licet Aeneas dux, sit rex alter Achilles,
 Si caret historico vate, peribit uter.
Illi raucescant citharae, fons areat illi,
 Quicunque ingrati principis arma canit,
Et me destituant Musae, me pulcer Apollo
 Non amet, indigni si ducis acta feram.
At tu principibus qui jucundissimus extas,
 Petre, fac ingenio par mihi munus eat.
Tunc mea magnanimos largos regesque ducesque
 Evehet ad superos larga Thalia polos.

IX.

ELEGIA ANGELINAE.

Quid quaeris, quid te tanto moerore fatigas,
 Spes mea, blanditiae deliciaeque meae?

---

36. Martialis VIII, 56. *sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.*

IX.

Inest haec elegia in Margarita poëtica Alberti Eibensis folio 148. exempli Argentinae anno 1503

Quid gemis, et totiens singultus pectora rumpunt?
Quid lacrymis totiens lumina moesta madent?

---

excusi, cum epigraphe: *ex Joanne Antonio Hermaphrodita*, unde patet, compilatorem nomen libri mirum in modum sumsisse pro nomine auctoris, atque adeo ex Hermaphrodito fecisse Hermaphroditam. Compilatorem dico, nam inepte praefixit venusto carmini, quo Angelina nescio cui amorem suum fatetur, versiculos plane alienos sex:

Uror et occultae redeunt praecordia flammae;
O ego si sileam terque quaterque miser!
Dulcis, amoena fui, multis mea facta placebant.
Sed super pretium nil mihi dulce fuit.
Diruit haec eadem quae me construxerat ara.
Una meae vitae causa necisque fuit.

Ac primum quidem distichon est epigramma XXVI. libri secundi Hermaphroditi, alterum est ultimum epigrammatis XXX. ejusdem libri, tertium aliunde petitum quo referatur difficile dictu. Ne tamen queraris, deficere te interpretem, ubi maxime opus, fortasse est epitaphium puellae illius Perusinae, quae et Ladislao regi Neapolitano et sibi ipsa anno 1414, patris medici jussu decepta, necem ita conscivisse traditur, ut venenato sudariolo incalescentia membra in coitu perfricaret.

Sume animos, lux nostra, animae pars altera nostrae,
Qui vitae arbitrium, mortis et unus habes.

Certe potuit puella recte dicere, dirui se eadem ara, qua fuisset constructa. Intelligit cunnum, ad quem veluti ad aram sua solet mentula facere libamenta. Priap. LXXV.

Obliquis pathicae quid me spectatis ocellis?
Non stat inguinibus mentula tenta meis.
Quae tamen exanimis nunc est et inutile lignum,
Utilis haec, aram *si dederitis, erit.*

Quis est, qui dubitet, aram, quam Priapus mentulae dari jubet, locum esse ad libandum aptum, sive sit cunnus, sive culus, sive os? Proxime enim addit:

Per medios ibit pueros, mediasque puellas
Mentula, barbatis non nisi summa petet.

Vult: date quod fodiat, illico surget mentula, et exsplendescet virtus innata; date culum, paedicabit, date cunnum, futuet, date os, irrumabit. Nihil simplicius. Cave tamen deproperes. Interpretes tantum non omnes bonam sententiam desperant ex voce *aram* eruendam. Tentant locum variis conjecturis. Mavult Scioppius *arae*, quasi dixerit Priapus, utilem fore mentulam ligneam suam tum, cum arae data fuerit ustulanda, Eggelingius cum Antonio *arvum*, Lessingius *arrham*, Burmannus secundus *erucam*, Orvilius *coram* aut

Sume, age, sume animos, o vita dulcior, o mi
Dulcis amor, vita carior ipsa mea.
Pone modum lacrymis, tantos compesce dolores,
Angelina rogat, quod rogat obsequere.

---

sertum. Risum teneatis, amici! Desiderant viri docti locum similem. Nempe vetant dici recens, adhuc indictum ore alio! Forsan autem ne inauditus quidem est usus poëticus arae de cunno. Profert Burmannus secundus in Anthologia Latina tomo II. p. 592. epigramma Luxorii, poëtae sexti saeculi, hoc:

Zelotypus plures incurvas elune puellas,
Sed nulla est, quae te sentiat esse virum.
Custodis clausas, tanquam sis omnibus aptus,
Est tamen internus Jupiter ex famulis.
Si nihil ergo vales, vacuo cur arrigis orge,
Et facis ignarus mentis adulterium?

Versiculo quinto codices manu exarati exhibent *oge*, quod cum nihili sit, inde fecit Heinsius *orge*, Graecum quidem *ὀργή* Latinis literis scriptum. Burmannus secundus conjicit *vacua cur arrigis* arte. Quid si Luxorius dedit *vacua cur arrigis* ara, aut *vacuae cur arrigis* arae? Tum haberes, quo satisfieret vel istis morosis.

Ferrea non ego sum, neque sum de tigride nata,
At placidus sanguis nobile corpus alit.
Te clari exornant mores, te vivida virtus,
Te decor atque altae nobilitatis honos,
Et tibi frons laeta est et amica virentibus annis,
Ingenuusque tuo splendor in ore sedet.
Illa gerit silices et clauso in pectore ferrum,
Quae talem imprudens nescit amare virum.
Hoc unum superest, ut me miseratus amantem
Excipias nostros in tua jura sinus.
Tu me ardere facis, tu me languere furentem,
Causa meae vitae causaque mortis eris.
Tu nostrum sidus, tu gloria nostra perennis,
Omnia tu nostrae jura salutis habes.
Forma fuit teneris semper suspecta puellis.
Dii te perpetuent, cuncta et per saecula laetum
Reddant, sint vitae stamina longa tuae.

---

11. Sic supra in elegia ad Lamolam versiculo 47 *ferreus Aeneas, de tigride natus Ulixes.*

22. Similis versus 60 elegiae ad Lamolam: *jura meae vitae juraque mortis habes.*

X.

JOANNES JOVIANUS PONTANUS AD ANTONIUM PANORMITAM.

Antoni, decus elegantiarum,
Atque idem pater omnium leporum,
Unus te rogat ex tuis amicis,
Cras ad se venias, ferasque tecum
Quantumcunque potes facetiarum
Et quicquid fuerit domi jocorum.
Nam risus tibi tantum apparavit,
Quantum Democrito diebus octo
Profundi satis et super fuisset,
Quod tecum patulo cupit palato
Perridere suapte risione,
Condita levitate ineptiisque.

X.

Descripsi ex Parisiensi exemplo Amorum Pontani p. 157.

XI.

EPITAPHIUM ANTONII PANORMITAE AUCTORE JOANNE JOVIANO PONTANO.

Siste hospes; fas est cantus audire dearum.
Grata mora est, Musae nam loca sacra tenent.
Antoni monumenta vides, hinc templa frequentant.
Ille fuit sacri maxima cura chori.
Illum saepe suis medium statuere choreis,
Duxit compositos, arte decente, choros.
Saepe lyram cessit Clio, cessere sorores,
Concinuit teneros voce manuque sonos.
Exstinctum flevitque Aon, flevitque Aganippe,
Sebethus miseros egit in amne modos.
Sirenes quoque de scopulis miserabile carmen
Ingeminant, planctu littora pulsa sonant.
Pierides tristem ad tumulum fudere querelas,
Pierides passis post sua terga comis.

XI.

Praefationi Hermaphroditi adjecit editor Parisiensis hoc epitaphium, quo nolui lectores fraudare.

4. Parisiense exemplum mendose *sacra*.

Hinc crevit desiderium, nec cura recessit
Vatis, at exstincto vate remansit amor.
Conveniunt nunc ad tumulum, celebrentque choreas,
Et celebrant lusus, magne poëta, tuos.
En audis, sonet ut lenis concentibus aura?
Ut sonet appulsu concita terra pedum?
Haec vati memores Musae post fata rependunt;
Carminis hoc meritum est. Num satis? Hospes abi.

APOPHORETA,

[illegible]

Non intret Cato theatrum nostrum, aut si intraverit spectet.

DE
FIGURIS VENERIS.

Varias Veneris figuras recensere consilium est, non omnes omnino illas quidem, qui enim fieri posset, ut mille modi Veneris, [a] mille fignrae, per quas ingeniosa libidinis satietas audeat Venerem jungere, numero comprehenderentur? sed eas ita per certa genera digestas, ut suo quaeque loco facile aptari posse videatur. Noli vero, lector curiose, aliena forte spe animum pascere. Neque enim nos ii

---

a. Ovidius de arte amatoria I, 435. 36.

Non mihi sacrilegas meretricum ut prosequar artes
Cum totidem linguis sint satis ora decem.

Aloisia Sigaea p. 320. *quot inflexiones, quot corporis conversiones, tot sunt Veneris figurae. Nec numerus iniri, nec doceri aptior voluptati potest. Quisque a libidine sua, a loco, a tempore, quam indui figuram velit, capit consilium. Sed non omnibus idem amor.*

sumus, qui gloriolam petamus experta aut nove tentata prodendo in palaestra, qua tirocinium nequaquam posuerimus; neque est instituti nostri, oculis auribusve accepta tradere; neque etiam, ut maxime vellemus, ita tibi satisfacere ullo modo possemus, qui toti pendeamus a libris, toti simus in libris, vix versemur inter homines. Lusimus haec otia primum animi causa, aliud ex alio nectentes, philosophia, in qua olim quasi tabernaculum vitae collocare putabamus, nunc jacente; an floret, cujus quaeque prope dies nova videt dogmata cito peritura pullulare, ut quot philosophi, tot fere hodie philosophiae, sectae nullae, pro cohorte singulares exstare videantur? deinde vero etiam propterea, ut eorum rationibus aliquantulum consuleremus, qui in liberiore scriptorum veterum simplicitate salibusque nudis haud raro haerentes deseri se quererentur pudica interpretum aut brevitate aut taciturnitate, licet qui pueris scripserint, eos jure suo abstinuisse ab obscenis voluptatibus diligentius et explanatius enarrandis infitias iverit nemo.

Si quidquam peccaverimus, ignoscas quaesumus cum supellectili nostrae curtae, tum insolentiorum libidinum imperitiae, quae solet regnare in oppidis parvis, tum vero etiam mentularum Melocabensium, si placet, probitati.

Non nostrum est exemplum. Praeivit Astyanassa, quae Suida teste [b] prima scripsit περὶ σχημάτων συνȣσιαςικῶν: praeivit Philaenis Samia, [c] vel potius ne de aliena fama detrahere videamur, qui librum περὶ ποικίλων σχημάτων ἀφροδισίων matronae honestae nomine inscripsit, Polycrates, sophistes Atheniensis: praeivit

---

b. Suidas in Ἀςυάνασσα: Ἀςυάνασσα Ἑλένης τῆς Μενελάȣ θεράπαινα, ἥτις πρώτη τὰς ἐν τῇ συνȣσίᾳ κατακλίσεις εὗρεν, καὶ ἔγραψε περὶ σχημάτων συνȣσιαςικῶν, ἣν ὕςερον παρεζήλωσαν Φιλαινὶς καὶ Ἐλεφαντίνη, αἱ τὰ τοιαῦτα ἐξορχησάμεναι ἀσελγήματα.

c. Priapeio LXIII.

Ad hanc puella, paene nomen adjeci,
Solet venire cum suo fututore,
Quae ut tot figuras, quot Philaenis enarrat,
Non invenit, pruriginosa discedit.

Vindicem famae nacta est Aeschrionem, quo auctore exstat epitaphium Philaenidis ab Athenaeo libro VIII. cap. 13. servatum, in quo extremo:

ȣκ ἦν ἐς ἄνδρας μάχλος, ȣδὲ δημώδης·
Πολυκράτης δὲ, τὴν γονὴν Ἀθηναῖος,
λόγων τι παιπάλημα, καὶ κακὴ γλῶσσα,
ἔγραψεν ὅσσ' ἔγραψ'· ἐγὼ γὰρ ȣκ οἶδα.

Prae manibus fuerunt Philaenidis libelli Timarcho Luciani, in Apophrade p. 158. tomi VII Operum a Jo. Petro Schmidio editorum; πȣ̃ γὰρ ταῦτα (ὀνόματα καὶ ῥήματα) τῶν βιβλίων εὑρίσκεις; ἐκ τῶν Φιλαινίδος δέλτων, ἃς διὰ χειρὸς ἔχεις;

Elephantis[d] sive Elephantine, puella, Graeca, cujus lascivis libellis Tiberius Caesar cubicula

---

d. Suetonius in Tiberio cap. 43. *Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum et figurarum adornavit, librisque Elephantidis instruxit, ne cui in opera edenda exemplar imperatae schemae deesset.* Priapeio III.

Obscenis rigido deo tabellas
Ducens ex Elephantidos libellis
Dat donum Lalage, rogatque tentes,
Si pictas opus edat ad figuras.

Fuerunt igitur, qui figuras ab Elephantide enarratas pictis tabulis, ipsa forsan praeeunte, exprimerent. Hujusmodi tabulas Lalage dicat Priapo, rogatque velit ipsam permolere, et tentare, num docilis sit discipula pictis istis coëundi modis omnibus fideliter imitandis. Versiculo secundo confirmat codex quoque manu exaratus Priapeiorum Coburgensis lectionem plurimorum scriptorum librorum *dicans* pro vulgato *ducens;* sed non possum a me impetrare, ut scripsisse putem poëtam haud sane ineptum *dicans dat donum*, quo nihil frigidius, quamvis Burmanno dem, *dicans* non omnino damnari per metricas rationes. Etiam primo versiculo codex noster stat ab lectione *obscenas*, quod adnotare omisi in Bibliotheca critica Sebodiana 1820, 842. Tales tabellas lascivarum figurarum, sive ex Elephantidos, sive Philaenidis libris, sive aliunde ductas, quis enim dubitet, in tam blandi argumenti illecebris artificum ingenia desudasse certatim atque elaborasse? respexit Ovidius de arte amatoria II, 680.

Venerem jungunt per mille figuras,
Inveniat plures nulla tabella modos.

instruxisse fertur: praeivit Paxamus, * qui Δωδεκάτεχνον composuit de figuris obscenis:

---

et auctor veteris epigrammatis a Josepho Scaligero ad Priapeium III. in lucem protracti:

Inque modos omnes dulces imitata tabellas
Transeat, et lecto pendeat illa meo.

Nihil frequentius fuisse Romanis, quam tecta parietesque obscenis picturis adornare, intelligere est ex Propertio II, 6, 27. seqq.

Quae manus obscenas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.
Non istis olim variabant tecta figuris,
Quum paries nullo crimine pictus erat.

* Suidas: Πάξαμος Δωδεκάτεχνον· ἔστι δὲ περὶ τῶν αἰσχρῶν σχημάτων. At sine causa huc referri puto Cyrenen quandam δωδεκαμήχανον dictam. Videtur enim meretricula illa duodecim Veneris figuras non tam scripto quam facto expressisse. Suidas in Δωδεκαμήχανον: Κυρήνη τις ἐπίσημος γέγονεν ἑταίρα δωδεκαμήχανος ἐπικαλουμένη, διὰ τὸ τοσαῦτα σχήματα ἐν τῇ συνουσίᾳ ποιεῖν. Aristophanes in Ranis 1361—63. τολμᾷς τἀμὰ μέλη ψέγειν ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον Κυρήνης μελοποιῶν; Nominatur etiam in Thesmophoriis 104, sed nominatur tantum. Ceterum nos semper laudamus Aristophanem Burmannianum. Dubito, num scriptoribus de figuris Veneris adnumerandus sit Musaeus, cujus pathicissimos libellos, Sybariticis certantes et sale pruriente tinctos, Instantium Rufum legere jubet Martialis XII, 97. ea tamen lege, ut puella ejus praesto sit, ne thalassionem indicat manibus libidinosis, fiatque sine femina maritus.

praeivit Sotades Maronita, [f] Cinaedologus dictus, a quo Sotadeorum nomen mansit omni generi librorum, nimiae impudicitiae nota insignium: praeivit Sabellus, in quem Martialis XII, 43.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, versus,
Quales nec Didymi [g] sciunt puellae,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris novae figurae,
Quales perditus audeat fututor,
Praestent et taceant quid exoleti,
Quo symplegmate quinque copulentur,
Qua plures teneantur a catena,
Exstinctam liceat quid ad lucernam.
Tanti non erat esse te disertum.

---

f. Athenaeus XIV, 13. ὁ δὲ Ἰωνικὸς λόγος τὰ Σωτάδȣ καὶ τὰ πρὸ τȣ́τȣ Ἰωνικὰ καλȣ́μενα ποιήματα, Ἀλεξάνδρȣ τε τȣ̃ Αἰτωλȣ̃, καὶ Πύρητος τȣ̃ Μιλησίȣ, καὶ Ἀλέξȣ, καὶ ἄλλων τοιȣ́των ποιητῶν προφέρεται. Καλεῖται δὲ ȣ̉͂τος καὶ κιναιδολόγος. Ἤκμασε δὲ ἐν τῷ εἴδει τȣ́τῳ Σωτάδης ὁ Μαρωνίτης, ὥς φησι Καρύςιος ὁ Περγαμηνὸς ἐν τῷ περὶ αὐτȣ̃ Σωτάδȣ συγγράμματι, καὶ ὁ τȣ̃ Σωτάδȣ υἱὸς Ἀπολλώνιος. Ἔγραψε δὲ καὶ ȣ̉͂τος περὶ τῶν τȣ̃ πατρὸς ποιημάτων σύγγραμμα. Vitae exitum miserabilem habuit: nam cum procacioribus dicteriis Ptolemaeum Philadelphum, regem Aegypti, lacessere ausus esset, quam pro irritabili natura regiarum aurium, vase plumbeo inclusus mari mersus est.

g. Quaenam fuerint Didymi puellae, nescitur. Dum aliquis certiora protulerit, conjicere interea licebit, fuisse in quatuor millibus librorum,

praeivit vir divini ingenii Petrus Aretinus, quem tabellas [h] sedecim obscenissimas a Julio Romano pictas, a Marco tum Antonio in aere incisas, carminibus intemperantissimis, ut nihil supra, illustrasse iniqua fama canit: praeivit Laurentius Venerius, [i] nobilis Venetus, auctor libelli Italico sermone conscripti, cum indice la puttana errante, quo coëundi non minus triginta quinque modos enumerare sibi

---

quos Didymum grammaticum conscripsisse Seneca epistola 88 tradit, et unum aliquem de pathicarum puellarum figuris, dignum, qui juxta Elephantidos libellos nominaretur. Certe qui tantum subtilitati tribuit, ut quaereret, libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit, Sappho publica fuerit, nec ne, poterat etiam in Veneris modos inquirere.

h. Vide sis Lexicon Baelianum sub Pierre Aretin, et Murrii *Journal zur Kunstgeschichte* tomo XIV. pag. 1 — 72.

i. Petrus Baelius in Lexico sub Pierre Aretin: *il y a un dialogue de Maddalena et de Giulia, qui a pour titre la puttana errante, où il est traité au long de i diversi congiungimenti jusqu' au nombre de trente-cinq. L'Aretin, quoique l'ouvrage ait toujours été imprimé sous son nom, le désavoue, et dit qu' il est d' un de ses élèves, nommé le Veniero.* Brunetus in Manuel du libraire: *puttana errante, petit ouvrage très rare, bien digne de l'Aretin par les obscénités dont il est rempli, mais qui lui a été faussement attribué. Lorenzo Veniero, noble Venitien, en est le véritable auteur. Il le publia pour se venger d'une courtisane de Venise, appelée Angela, qu' il désigne sous le nom injurieux de Zaffetta, c'est à dire en langage Venitien fille d'un sbire.*

sumsit: praeivit denique Nicolaus Chorerius, jurisconsultus Francogallus, qui Aloisiae Sigaeae, virginis Hispanae, nomen praefixit Satirae Sotadicae de arcanis amoris et Veneris, quanquam et fertur libellus sub nomine Joannis Meursii cum epigraphe: Elegantiae Latini sermonis; in quo libello nescias, utrum Latine loquendi accuratam et sine molestia diligentem elegantiam, an festivitatem et facetiarum leporem, an eruditionis Romanae scintillas identidem micantes, an multam et copiosam orationem, exquisitis et verborum et sententiarum luminibus, antiquitatem redolentibus, velut gemmis distinctam, an praeclaram artem prodigialiter variandi rem unam magis admireris. Alios mittamus.

Non defuerunt praedecessoribus nostris (antiquiorum quidem, quos laudavimus, omnium opera tempus nobis invidisse dolemus.) censores tetrici, nec tamen lectores studiosi. Neque forsan deerunt utrique et nostrae paginae. Hominem illa sapit, ac famae securi hominibus scripsimus, naturam subducto supercilio furca expellere non consuetis, sed qui semel vivere auderent, quicquid et in tenebris non essent, nec in publico videri vellent, atque etiam, uti in omnibus rebus, ita in Venereis, auream potissimum tenendam putarent medioeritatem. Valeant ceteri habeantque sibi sapientiae nomen!

Edi potest opus Venereum aut per mentulam aut sine mentula. Si per mentulam, frictio mentulae, in qua omnis voluptas versatur, effici potest aut cunno, aut culo, aut ore, aut manu aliisve cavis corporis: si sine mentula, cunnus fodi potest aut lingua, aut clitoride, aut alia quacunque re, virili veretro simili.

Caput I.

DE FUTUTIONE.

Ac primum quidem videamus de opere, quod fit per mentulam cunno commissam. Id quidem proprie dicitur *futuere*. Varius autem modus futuendi. Potest enim fututio fieri aut proni cum supina, aut supini cum prona, aut supini cum aversa, aut sedentis cum adversa, aut sedentis cum aversa, aut stantis cum adversa, aut stantis cum aversa. Jam singula dispiciamus.

Coitus *proni cum supina* est modus communis atque etiam ad naturam maxime accommodatus. Aloisia Sigaea p. 322. 23. *Ego vero communem Veneris usum et figuram unice laudo, ut in supinam vir procumbat, pectus pectore, ventrem ventre comprimat, pubes pubi colludat, diffindens rigido conto*

teneram rimam. Nam quid dulcius cogitando fingi potest, quam resupinam amati corporis blando pondere ad irrequietae sed suavis impatientiae molles incitari furias? quid gratius, quam amantis vultu pasci, osculis, suspiriis et patrantium oculorum incendiis? quid praestabilius, quam amores suos fovere complexibus, sensibus quidem, quos non aetas, non vitium ullum obtudit? quid utriusque libidini, utriusque voluptati laetius concutientis et succutientis lascivis motitationibus? quid opportunius prae voluptate emorientibus, quam flammescentium suaviorum vivida vi reviviscere? Qui aversa ludit in Venere, uni tantum alterive sensui gratificatur, omnibus qui in adversa.

Formosas feminas potissimum hac figura uti jubet magister amorum de arte amatoria III, 771 — 73.

Nota sibi sint quaeque: modos a corpore certos
Sumite. Non omnes una figura decet.
Quae facie praesignis eris, resupina jaceto.

Induitur vero haec ipsa figura non una ratione. Nam potest aut eques intra femina recipere supinam, aut supina equitem, et posterior quidem ratio rursus fingi potest aut ita, ut supina jaceat pedibus divaricatis, aut sublatis.

In illum quidem modum, quo supina jacet *pedibus divaricatis*, Venerem figurare Octaviam jussit Caviceus: Aloisia Sigaea p. 124. *Nolo te motitare clunes, et mutuis motibus meis respondere. Immo nolo te crura tollere, nec ambo simul, nec alterum alterumve, cum super te conscendero. Sed haec sunt quae volo. Primum divariceris et aperias quam aptissime poteris femina. Vulvam ostentes mentulae figendam, et eo corporis situ non mutato ad finem usque libidinem perduci meam patiaris. Numeres omnes concussiones meas. Vide ne pecces in numero.* Imaginem desideras? evolvas fabulae Romanensis inscriptae: Felicia, ou mes fredaines, caput XXV partis II, et fruaris tabulae adjectae argumento.

In hunc autem modum, quo supina jacet *pedibus sublatis*, Tulliam disposuit Callias: Aloisia Sigaea p. 68. 69. *Cum me effudero in amatum istud pectus, brachiis amplectere me. Nulla res complexum tuum solvat. Quin etiam tolle quam altissime poteris crura, ita ut lepidissimi pedes admotis calcibus politissimas nates exosculentur.*

Si quis supinam pedibus sublatis vult inire, potest is alia quoque ratione ac Tulliana et forsan multo suaviori collocare amicam ita, ut

pedes supinae in lumbos equitis decussatim tollantur, cujus figurae imaginem jucundissimam, qua possit cuique vel Hippolyto inguen concitari, adspicias Feliciae laudatae partis IV capiti XXV adjectam. Neque invenusta est ejusdem figurae imago, quae paulo ante caput XXI comitatur. Hoc schemate videtur usa esse Doris in epigrammate Sosipatri p. 504 tomi I Analectorum Brunkii:

> *Δωρίδα τὴν ῥοδόπυγον ὑπὲρ λεχέων διατείνας*
> *ἄνθεσιν ἐν χλοεροῖς ἀθάνατος γέγονα·*
> *ἡ γὰρ ὑπερφυέεσσι μέσον διαβᾶσα με ποσσὶν,*
> *ἤνυεν ἀκλινέως τὸν Κύπριδος δόλιχον.*

Non equitasse Doridem, patet ex *διατείνας*: strata jacebat pedibusque sublatis constringebat equitem.

Possunt vero etiam pedes supinae tolli ab aliis. Sic Aloisius Venerem Tulliae juvit subactore Fabricio: Aloisia Sigaea p. 248. 49. ubi Tullia, *ecce advolant*, inquit, *Aloisius Fabriciusque. Tolle crura, ait Fabricius, machaeram intentans. Tollo. Tunc effundit se in pectus meum, et immergit in ulcus insanabile machaeram. Utramque mihi Aloisius tibiam sustollit, et sub poplitibus altera et altera missa manu agitat ipse lumbos mihi nullo meo labore. Procax ridiculae motitationis genus! Incendi me dixi, sed*

dicto citius restagnans Veneris spuma restinxit incendium.[k]

Pedibus, nescio sua an aliena ope, sublatis dedit Leda medicis indulgente marito admissis: Martialis XI, 72.

Hystericam vetulo se dixerat esse marito,
Et queritur futui Leda necesse sibi,
Sed flens atque gemens tanti negat esse salutem,
Seque refert potius proposuisse mori.
Vir rogat ut vivat, virides nec deserat annos,
Et fieri quod jam non facit ipse sinit.
Protinus accedunt medici, medicaeque recedunt,
Tolluntur que pedes: o medicina gravis!

Licet prono et rem habere cum *semisupina*, aut oblique, sive in lecto, sive in sella, effusa, aut in latus jacente.

Et *in lecto* quidem effundi jubet Ovidius obliquam, cui femur sit juvenile, careant quoque pectora menda: de arte amat. III, 781. 82.

---

k. Nec Aristophanis aetate artes ejusmodi incognitas fuisse, discimus ex versiculis 889. 90. in Pace: ὥς εὐθέως ἄραντας ὑμᾶς τὼ σκέλη ταύτης μετέωρα καταγαγεῖν ἀνάρρυσιν. Adde v. 1254 in Avibus: τῆς διακόνου πρώτης ἀνατείνας τὼ σκέλη διαμηριῶ.

Cui femur est juvenile, carent quoque pectora menda,
Semper [1] *in obliquo fusa sit illa toro.*

Coitum autem proni cum oblique *in sella* effusa belle et festive more suo depinxit Aloisia p. 102 — 105. *Laetus festinusque accurrit Caviceus, mihi* (Octaviae verba sunt) *indusium tollit manumque procacem parti meae admovet. Dehinc sedere jubet. Ut sedebam, utroque ponit sub pede sellam, ita ut cruribus altius sublatis horti porta ad speratos impetus obversa pateret tota. Dexteram tamen subtus nates insinuavit, paulo magis admovit me ad se. Laeva sustinebat hastae pondus. Tunc procubuit in me, applicuit arietem foribus meis, in rimam priorem, cujus labra diducebat digitis, inseruit mutonis caput. Hic vero haesit, nec ultra quidquam conatus est. Octavia mea dulcissima, inquit, complectere me, dextrum femur tuum subleva et in lumbos meos mitte. Non intelligo quid velis, inquam. Sub haec femur ipse meum subdita manu superinjicit in lumbos suos, situ quo voluerat. Demum adigit in Venereum scopum mentulam, et principio quidem impellit levi concussione, mox fortiori, ac*

---

1. Alia figura prodit ex lectione quorundam librorum: *Stet vir, in obliquo fusa sit ipsa toro.*

postremum eo nisu, ut summum mihi non dubitarem imminere periculum. Rigida ea erat ac si cornea. Tanta vi ruebat, ut lacerari me exclamarem. Paululum requievit ab opere. Sile, amabo, corculum, inquit, ita haec res agitur; obdura immota. Iterum subter clunes manum misit, promovitque ad se, quae videbar in fugam converti. Nec mora, crebris concussionibus ita me fatigavit, ut fere animo deficerem. Rapido post impetu hastam impulit, summusque mucro haesit in summo ulcere. Clamorem tollo. In sudorem defluxit Venereum Caviceus. Sensi me imbre fervido irrigari. Cum jam deficeret Caviceus, incessit me quasi micturientis pruriens libido: tum et ipsa ultro clunes tollo, et illico sensi magna cum voluptate excerni ex me nescio quid, quod mirabiliter me ea in parte demulcebat. Conniventes mihi oculi, crebri anhelitus, vultus mihi ignescere, totum corpus dilabi. Ah! ah! ah! deficio, Cavici, exclamo; siste fugientem animam.

Coitum denique cum semisupina *jacente in latus*, et dextrum quidem latus, Naso judicat simplicissimum esse et minimi laboris: de arte III, 787. 88.

> *Mille modi Veneris: simplex minimique laboris,*
> *Cum jacet in dextrum semisupina latus.*

Praecipue hanc figuram inire jubet longiores feminas: ibidem versiculis 779. 80.

Strata premat genibus, paulum cervice reflexa,
Femina, per longum conspicienda latus.

Hoc modo Phyllis videtur esse fututa; Mart. X, 81.

Cum duo venissent ad Phyllida mane fututum,
Et nudam cuperet sumere uterque prior;
Promisit pariter se Phyllis utrique daturam,
Et dedit. Ille pedem sustulit, hic tunicam.

Pedem igitur semisupinae in latus jacentis sustulit fututor, tunicam paedico.

Pergamus ad eam figuram, qua *supinus* rem habet *cum prona*. Partes equitis versa vice hic sustinet femina, equi vir. Hanc figuram dicunt Hectoreum equum, ex illo Martialis XI, 105.

Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
Hectoreo quoties sederat uxor equo.

Negat autem Ovidius de arte amat. III, 777. 78. diserte, placuisse eam figuram Andromachae, neque potuisse aut debuisse illi ut longissimae placere; vehi enim decere parvas:

Parva vehatur equo: quod erat longissima, nunquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.

Non nostrum est componere litem.

Certe hanc figuram induit Sempronia cum Chrysogono: Aloisia III, 69. *impatiens morae Chrysogonus, exuisti vestes, inquit; nunc figuram illam, Sempronia mea, qua nosti tantopere delectari me, indue. Exsilit in supinum, et sedens obversa spiculum candens divaricatis femoribus vibrat ipsa in se sua manu.*

Idem schema servus ille Horatii Satir. II, 7, 50. imperavit meretriculae, quae *sub clara nuda lucerna clunibus agitavit equum lasciva supinum.* Matronae tamen, quae in illa ipsa satira versiculo 64 *non peccat superne,* id schematis nequaquam arrisit: nam diversa diversas juvant.

Neque valde placuisse videtur illi, quam Xanthias jusserat *κελητίσαι* in Vespis Aristophanis v. 499. quaerit enim indignabunda, ludens tamen in ambiguitate nominis, tyrannidemne Hippiae moliatur: *ὀξυθυμηθεῖσά μοι ἤρετ', εἰ τὴν Ἱππίου καθίσαμαι τυραννίδα.* Huc etiam spectat illud in Lysistrata v. 678, quo obscenitatum auceps feminarum genus dicit aptissimum esse ad equitandum curruque vehendum: *ἱππικώτατον γάρ ἐστι χρῆμα κἄποχον γυνή.* Haud multo secius tangit illas, quae versu 60 ejusdem fabulae *ἐπὶ τῶν κελήτων διαβεβήκασι:* nam *κέλητες* et navigia sunt, et equi. Eadem figura delectabatur Plango Asclepiadis in Ana-

lectis Brunkii I, 217. νικήσασα κέλητι Φιλαινίδα τὴν πολύχαρμον, Ἑσπερίων πώλων ἄρτι φρυασσομένων. Plures haec equitando in Veneris palaestra exhibere figuras docta, quam ipsa Philaenis, multiformis illa gaudiorum artifex, gratias agit Veneri in illo epigrammate, quod Hesperios quosdam juvenes, supinos ipsam subeuntes, nuper ita emeruerit, ut fatigatis mentulis lascivientibus neutiquam pruriginosi discederent. Supinos exercere moris etiam erat Lysidicae, non ita facile in Veneris stadio lassandae, quae proximo Asclepiadis epigrammate πολὺν ὕπτιον ἵππον ἐγύμνασεν, οὐ ποτε δ' αὐτῆς μηρὸς ἐφοινίχθη κοῦφα τινασσομένης. Quod flagellum, frena, calcar istae Veneri dedicant, ad significandam faciunt eam figuram, quae sibi coëuntibus potissimum in usu fuerit, ut veherentur, non veherent. Nihil profecto amplius.

Nec alia ratione pendulae Veneris fructu Fotis satiavit Lucium suum: Apuleius Metamorphoseon libro II. p. 122. *haec simul dicens inscenso grabatulo super me cossim residens, ac crebra subsiliens, lubricisque gestibus mobilem spinam quatiens, pendulae Veneris fructu me satiavit, usque dum lassis animis et marcidis artubus defatigati simul ambo corruimus, inter mutuos amplexus animas anhelantes.*

Proximam figuram, *supini cum aversa*, finxit Rangonius cum Octavia, Tullia magistra: Aloisia Sigaea p. 277 — 279. Rangonius. *Vide ut arrigo. Sed volo nova via ad rem ire.* Tullia. *Nova via? non, per pruriginem meam! non ibis nova via.* Rangonius. *Peccavi lingua. Volui dicere, nova figura.* Tullia. *Quae tandem erit? Occurrit ultro, vocant Hectoreum equum. Extende te supinum, Rangoni, hastaque illa fulminatrix hostem quaerat intenta, quem confodiat. Apte!* Octavia. *Quid facere vis me, Tullia?* Tullia. *Surge, et aversa intra femina tua Rangonium subjice. Ejus machaera jacentis vaginae respondeat imminentis. Apte collocasti te. Bene est.* Rangonius. *O dorsum Dionaeum! o lumbos eburneos! o incendiarias nates!* Tullia. *Ab his abstine maledictis. Cunno maledicit, qui natibus cum laude benedicit. At enim sapis, Octavia. Voravit tibi rudem mentulam, Rangoni, heluo cunnus.* Octavia. *Ades, Rangoni. En, en ades, Rangoni, mihi opi.* Rangonius. *Adsum, Octavia, adsum. Ades tu, ades tu.* Tullia. *Tam cito defecistis ambo?*

Pygiaca etiam sacra, ad quae Eumolpus puellam quandam invitavit apud Petronium cap. 140. accipienda videntur de schemate

supini cum aversa: *Eumolpus non distulit puellam invitare ad pygiaca sacra. Puellam quidem exoravit, ut sederet supra commendatam bonitatem*, (supra ipsum, cujus bonitati mater filiam commendaverat,) *Coraci autem imperavit, ut lectum, in quo ipse jacebat, subiret, positisque in pavimento manibus, dominum lumbis suis commoveret. Ille lente parebat imperio, puellaeque artificium pari motu remunerabat. Cum ergo res ad effectum spectaret, clara Eumolpus voce exhortabatur Coraca, ut spissaret officium. Sic inter mercenarium amicamque positus senex veluti oscillatione ludebat.* Quid mirum, si in pygiacis istis sacris forte soloecismum fecit Eumolpi mentula, aberrando ab una caverna ad alteram?

Imaginem hujus figurae in aes incisam reperies in elegantissimo opere Hancarvilliano, inscripto: Monumens du culte secret des dames Romaines, capiti XXV adjectam, neque te pigebit accepisse verba doctissimi interpretis: *Cette attitude est du goût de beaucoup de gens, et les dames mêmes y trouvent plus de plaisir. On prétend que Priape va plus au fond, et que la belle par ses mouvemens, se procure une volupté plus vive et une libation plus abondante.*

Num fieri possit, ut *aversus* commode futuat *supinam*, viderint experti. Recte enim Aloisia p. 329. *multae sunt*, inquit, *quae ad effectum venire nequeant, licet supra quam excogitari possit flexibiles sint coëuntium in Veneris sacra artus et lumbi. Profecto plura in mentem meditando et commentando solent cadere, quam vere fieri possint. Ut impotentis animi desideriis nihil impervium, sic nihil cogitationi exsultabundae et intemperanti difficile. Quo vult, et qua tentat viam, insinuat se, vel in abruptis invenit planam. Non ita corporibus facilia factu omnia, quae mens aut bona aut mala suadet.*

Sedentes viros opus peragentes cum feminis *adversis* spectare est in altero opere Hancarvilliano, cui index: Monumens de la vie privée des douze Césars, tabula XXVII, ejusdemque operis tabula XV ostendet curiositati tuae figuram *sedentis aversam* futuentis. Augustus ibi sedet, Terentiam, [m] Maecenatis, praesentis illius quidem, sed dormientis, nempe imperatori dormientis, uxorem gremio ac-

m. Dio Cass. LIV, 19. *ὅτω γὰρ ὄν πάνυ αὐτῆς ἤρα, ὥςε καὶ ἀγωνίσασθαί ποτε αὐτὴν περὶ τῶ κάλλυς πρὸς τὴν Λιουΐαν ποιῆσαι.* Haud inepte instituit certamen de forma: an putas, alio cultu certantes tulisse, atque eo, quo spectandas se praebuerunt deae devorantibus oculis Paridis?

ceptam pone fodiens imperatoria licentia. Similem figuram quaeras in Contes et Nouvelles en vers par Jean de la Fontaine, tabula fabellae le tableau adjecta, pagina 223 tomi II exempli Amstelodami anno 1762 excusi.

Nihil frequentius coitu *stantis cum adversa*, qui cum unoquoque fere loco peragi facillimo negotio potest, tunica modo amicae sublata teloque virili educto, tum maxime accommodus videtur rationibus eorum, si qui opportunitate raptim oblata uti velint, praesertim ubi opus est, ut fere fit in rebus furtivis, properato. Ita stabant vicinae illae sine fine prurientes, quarum salacitatem queritur Priapus Priapeio XXV:

Aut praecidite seminale membrum,
Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinae sine fine prurientes,
Vernis passeribus salaciores,
Aut rumpar.

Nostra aetate memini artis medicae magistrum celeberrimum, paene nomen adjeci, arcessita, ut rei fidem faceret, erubescente filia, auditoribusque subridentibus digito commonstrata, exclamare: hanc stando feci. Imaginem figurae petas ex Monumens de la vie privée des douze Césars, tabula XLVI, et similem ex Monumens du culte secret des dames Romaines, tabula XIII.

Sed potest etiam *stans* coire cum adversa *sublata*, ita quidem, ut aut totum corpus tollatur, cruribus feminae lumbis viri impositis, aut inferior tantum pars corporis sursum levetur, superior jaceat supina. Vis tu figurae utriusque non illepidae adspectu pascere oculos? evolvas, nec poenitebit, tabulam XXIV in Monumens du culte secret des dames Romaines, ac tabulam XL in Monumens de la vie privée des douze Césars. Alterutra species, nisi quid me fallit, obversabatur ante oculos Nasoni de arte III, 775. 76.

> *Milanion humeris Atalantes crura ferebat.*
> *Si bona sunt, hoc sunt accipienda modo.*

Certe priorem speciem depinxit nequitiarum magistra, Aloisia Sigaea, ita quidem vivide, lepide, laute, ut nihil posset supra, p. 313 — 316. *Proximus successit Turrianus. Surrexeram* (Tullia loquitur) *e lecto; nuda eram: arrigebat. Nec mora. Mammam manu utraque prehendit utramque, et intorquens intra femina spiculum fervidum et durum, en, inquit, domina, ut te appetit hoc telum, non quo letum, sed laeta omnia inferam tibi. Sis precor dux ipsa coecutienti mentulae hoc in coeco itinere, ne aberret a scopo: nam manus meas ab hac felicitate, qua fruuntur, haud dimoverim. Facio ut*

fieri volebat. Appuli ego igneum telum ad igneum ostium. Sensit, impellit et infigit. Momento, et ad alterum alterumve concussum resoluta sum incredibili cum titillatione, ita ut parum abfuerit, quin deficerent poplites mihi. Siste, ajo, fugientem animam. Scio qua fugit, refert subridens. Tibi scilicet elapsuram per id infimum putas ostium, quod teneo: sed ecce occlusum id est aptissime. Dicens contentione quadam spiritus summa faciebat, ut incresceret moles turgentis mentulae, et retro repellam fugitivam animam adjiciebat, acerrimos etiam motus ciebat. Altius ad vivum persedit mucro. Ea vi sursum dulces ingerebat impetus, deliciosos penetrabat furores, ut, quando certe omne non poterat corpus, saltem cupìditates omnes, desideria, libidines, cogitationes animumque amentem in corpus meum effunderet libidinoso nisu. Demum cum sensit liquidi aestus adventantem vesaniam, manus natibus meis subjicit, sublevat in aëra. Ego furentis artus arctissimis brachiorum alligo complexibus, et femorum tibiarumque alterno volumine femora natesque, ita ut ejus ab collo penderem vibrata ex humo. Sic pendebam quasi clavo affixa. Dum in longum labor trahitur, iterum non segnem me solvit Venus in Venerem. Temperare mihi non potui, quin exclamarem acriori amoris oestro percita: sentio omnes,

sentio Junonis cum Jove concumbentis delicias omnes, feror in coelum. Eodem temporis puncto exundantis seminis humescenti igne genitale arvum conspersit Turrianus, quem Venus et Amor omnibus suis agebant furoribus in libidinem. Hedera non ita nuci haeret circumvoluta, ut haerebam Turriano brachiorum femorumque amplexu conjuncta.

Speciem vero posteriorem, qua fingi posse diximus coitum stantis cum sublata, etsi paululum immutatam, repraesentavit Conradus cum Tullia: Aloisia p. 317. *Mihi femina,* Tulliae verba audis, *aperuit. Non displicebat Conradus, nec admodum placebat: nec negavi, nec dedi. Ille vero novum molitur modum, nec ineptum. In sinistrum sibi humerum tollit dextrum supinae femur: post transfigit ictum exspectantem, non optantem. Femori dextro suo supinae injecerat sinistrum. Adacto in intima telo concutere, subagitare, urgere. Quid plura?*

Verum enimvero potest etiam *stans* inire *aversam*, quadrupedum more, quorum coitus fieri solet mare feminam aversam inscendente.[n]

---

n. Uberius hunc locum tractavit Plinius capite 63 libri X Historiae naturalis.

Fuerunt qui feminas pone dedolatas foecundius parere crederent. Lucretius de rerum natura IV, 1259 — 1262.

Nam more ferarum
Quadrupedumque magis ritu plerumque putantur
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt
Pectoribus positis sublatis semina lumbis.

Aloisia Sigaea p. 321. 22. *Viam Veneris esse dicunt alii ex naturae praescripto, si quadrupedum more prona et projectis lumbis ineatur mulier: nam sic promtius virilem invehi vomerem in muliebrem sulcum et seminis fluctus in arvum genitale. Sed negant medici pronae concubitum naturae convenire, qui partium generationi insudantium conformationi, ut probant, non convenit.*

Quicquid id est, saepe fit, ut nequeant mulieres iniri secus, atque aversae. Quo enim alio modo obesus venter ventri obeso aut gravido commissus rei finem reperiat? Hanc ob causam Augustus fertur Liviam Drusillam, cum Tiberii Neronis matrimonio sextum jam mensem gravidam abduxisset, pecudum more compressisse, cujus compressus jucundam imaginem tibi praebebunt Monumens de la vie privée des douze Césars, tabula VII; at cur fraudari te patiamur iis, quae luculentus editor ad illustrandam tabulam adnotavit?

Sic fere habent: *Cette Drusille est la fameuse Livie, femme de Tibere Néron, qui avoit été un des amis d' Antoine; Auguste en devint passionnément amoureux, et Tibere la lui ceda quoiqu' elle fût grosse de six mois. L'on plaisanta beaucoup sur cet empressement de l' empereur, et un jour qu' ils étoient tous à table, et que Livie étoit couchée près d' Auguste, un de ces enfans nus, que les matrones élevoient pour servir à leurs plaisirs, s' approchant de Livie, quid agis hic domina, lui dit-il, ecce enim maritus tuus (Neronem monstrabat) illic est.*[o] *Livie accoucha peu de temps après, et l' on disoit publiquement à Rome que les gens heureux avoient des enfans après trois mois de mariage, ce qui passa même en proverbe. Un historien dit qu' Auguste fut obligé de caresser sa femme more pecudum à cause de sa grossesse; et c' est à cette luxurieuse attitude que fait allusion le camée d' Apollonius, graveur célèbre du temps d' Auguste. L' état où étoit Livie peut, il est vrai, avoir rendu cette posture necessaire, mais il paroît qu' elle étoit en tout temps du goût des anciens, soit qu' ils crussent, ainsi que l' indique Lucrece, que cette attitude étoit favorable à la génération, soit plutôt qu' ils*

---

o. Conferas caput 44 libri XLVIII Dionis Cassii.

la préférassent par un raffinement de volupté. Les postures les plus recherchées, les moins naturelles souvent, ont paru en tout temps à quelques débauchés augmenter le plaisir de la jouissance. Mais il faut convenir que l' imagination va encore au-delà de la possibilité réelle.

Singularem causam, cur necesse sit coire cum aversa, commenta est Aloisiae sagacitas parte III pag. 73: *commendant Veneres* (cunnum,) *qui non omnino inter femina delitescat conditus: novem decemve distet tantum pollices ab umbilico. Demissa plerisque puellis ita fugit pubes, ut aversa videatur ad Venerem via. Difficilis cum istis concubitus. Non potuit Theodora Aspilcueta nisi posito pectore et sublatis in genua lumbis devirginari. Frustra supinae vir insudarat superfusus: oleum perdiderat.*

Jubet Ovidius eas potissimum quaerere coitum aversum, quibus jam venire coeperint rugae corpus arantes: de arte III, 785. 86.

Tu quoque cui rugis uterum Lucina notavit,
Ut celer aversis utere Parthus equis.

Eodem spectare videtur praeceptum paulo ante versu 774 datum:

Spectentur tergo quis sua terga placent.

Sed missa necessitate saepenumero constat feminas pone futui libidinis gratia, cum summa sit voluptas voluptatem variare. Nec alia de causa Fabricium Tullia passa est aversa apud Aloisiam Sigaeam p. 249. 50. *Surgente Aloisio* (Tullia loquitur) *novam se Fabricius accingit ad pugnam. Rubicunda illi et minitabunda turgebat mentula. Amabo, domina, obverte te in faciem, ait. Obverto, ut volebat. At enim ut nates vidit, quae candore suo ebur et nivem obscurarent, o te pulchram! ait. Sed erige te in genua demisso superioris corporis trunco. Demitto caput et pectus, tollo nates. Trusit in intimam vulvam rapidum et igneum telum. Mammam utramque cepit manu utraque. Post agitare coepit, et momento dulcis profluere rivus in mollem Veneris sinum, et ego etiam miris deliniri deliciis. Prae voluptate parum abfuit, quin deficerem. Ea me seminis copia excreti ex Fabricii lumbis implevit et demulsit, ea copia excreti e meis exhausit mihi vires. Hoc uno concubitu plus amisi virium, quam prioribus tribus.* [oo]

---

oo. Res inventionis est satis antiquae. Huc spectant Aristophanea illa in Pace v. 896. ἐπὶ γῆς παλαίειν τετραποδηδὸν ἑστάναι, et in Lysistrata v. 231. οὐ στήσομαι λέαιν' ἐπὶ τυροκνήστιδος.

Nova nec infaceta ratione peractus est coitus ille aversus, cujus bella imago conspicitur in Monumens du culte secret des dames Romaines tabula XXVIII. In manus illic procumbit femina, inferiore corporis parte funiculis sublata, et stanti fututori obversa. Neque valde diversam figuram exhibuisse videtur uxor illa fabri, quam, narrante Apulejo Metamorph. libro IX p. 220. *inclinatam dolio pronam superincurvatus secure dedolabat* (adulter). Lepidi facinoris imago adjuncta est fabulae le cuvier in Contes et Nouvelles en vers par Jean de la Fontaine, tomo II pagina 215.

Caput II.

DE PAEDICANDO.

Haec habuimus de fututione quae diceremus. Jam sequitur ut exponamus de altero Veneris genere, quod quidem mentula perficit ope culi. Si quis opus peragit mentula culo, sive maris, sive feminae, immissa, *paedicat*. Qui paedicat dicitur *paedicator*, *paedico*, *draucus*:[p]

---

p. Draucus, *patrans*, a δράω, pro dravicus, ut cautus pro cavitus, lautus pro lavitus.

qui paedicatur *pathicus*, *cinaedus*, *catamitus*,[q] *mollis*, *delicatus*: pathicus adultior vel emeritus *exoletus*. Masculae Veneris, nam cum multo rarius fiat, ut paedicentur feminae quam mares, mascula solet dici ab eo quod plerumque fit, masculae igitur Veneris fructu satiatur libido aut agendo, quod est, paediconum, aut patiendo, quod est pathicorum. Et voluptas quidem paediconis facile intelligitur, cum omnis voluptas mentulae pendeat ex frictione: qui autem fieri possit, ut pathicus voluptatem capiat alieno pene intra viscera acto, difficilius videtur ad intelligendum, mei quidem ingenii exiguitati, qui sim talium artium plane rudis atque hospes. Cave enim existimes, voluptatem pathici tantum esse secundariam, neque pathicum substernere pudicitiam paediconi nisi eo, ut legitimum Veneris lusum paedicando sibi praeludat, ignaviaeque mentulae, quoad ejus possit, medeatur, vel adspectu virtutis alieni nervi, vel podicis quadam titillatione, quemadmodum eandem vim

q. *Catamitum*, Festo auctore, *pro Ganymede dixerunt*, *qui fuit Jovis concubinus*. Simili modo corrupte pronuntiabant Proserpinam pro Persephone, Aesculapium pro Asclepio, Carthaginem pro Carchedone, Pollucem pro Polydeuce, personam pro prosopo, Sibyllam pro Siobula, masturbare pro manu stuprare.

non modo digitis inesse in anum [r] trusis docet Antonius epigrammate XX libri prioris Hermaphroditi, sed et verberibus podici inflictis Aloisia Sigaea p. 210. 11. *Audio esse nostros inter homines Alphonsum marchionem, quem verbera excitant ad pugnam, alioquin imbellem et ignavum. Virgis caedi sibi nates jubet, vapulat egregie: prostat interim illi uxor resupina in lecto. Dum vapulat, arrigit, et quo acriores ictus, eo tentigo vehementior. Cum parata sibi videt arma, aggreditur jacentem, et rapidissimos ciens in substratam motus perfundit in subantem coelestia Veneris dona, et omnes, quae ex Venere capi possunt, capit voluptates.*[s] Et quid aliud commenta est ingeniosa mentula Russavii Genevensis, qui Lamberceriae virgini, summum pueri femur exclamare cogenti, poenas illas per omnem vitam efflictim exoptatas dedit?

---

r. Similiter scorteum penem ano Encolpi inseruit Oenothea ad languentem nervum pueri excitandum: Petronius 138. *profert Oenothea scorteum fascinum, quod, ut oleo et minuto pipere atque urticae trito circumdedit semine, paulatim coepit inserere ano meo.* De alio usu scortei fascini infra capite septimo dicendum veniet.

s. Etiamnum in lupanaribus Londinensibus non deesse, qui verbera praestent desiderantibus, narrat auctor Gynaeologiae Germanice conscriptae tomo III. p. 392.

Audias ipsum rem festive gestam qua solet elegantia narrantem libro primo Confessionum Francogallice scriptarum inde a pagina 22 exempli Genevae 1782 typis impressi, missis tamen nonnullis, quae modo ad amplificandum et exornandum addidit auctor immortalis; *Comme Mademoiselle Lambercier avoit pour nous l'affection d'une mère, elle en avoit aussi l'autorité, et la portoit quelquefois jusqu' à nous infliger la punition des enfans, quand nous l'avions meritée. Assez long-tems elle s'en tint à la menace, et cette menace d'un châtiment tout nouveau pour moi me sembloit très-effrayante: mais après l'exécution je le trouvai moins terrible à l'épreuve que l'attente ne l'avoit été, et ce qu'il y a de plus bizarre est que ce châtiment m'affectionna davantage encore à celle qui me l'avoit imposé. Il falloit même toute la vérité de cette affection et toute ma douceur naturelle pour m'empêcher de chercher le retour du même traitement en le méritant: car j'avois trouvé dans la douleur, dans la honte même, un mélange de sensualité qui m'avoit laissé plus de désir que de crainte de l'éprouver derechef par la même main. Qui croiroit que ce châtiment d'un enfant reçu à huit ans par la main d'une fille de trente a décidé de mes goûts, de mes désirs, de mes passions, de moi pour le reste de ma vie? Tourmenté long-tems, sans savoir de*

quoi, je dévorois d'un oeil ardent les belles personnes; mon imagination me les rappelloit sans cesse, uniquement pour les mettre en oeuvre à ma mode, et en faire autant de demoiselles Lambercier. N'imaginant que ce que j'avois senti, je ne savois porter mes désirs que vers l'espèce de volupté qui m'étoit connue. Dans mes sottes fantaisies, dans mes érotiques fureurs, dans les actes extravagans auxquels elles me portoient quelquefois, j'empruntois imaginairement le secours de l'autre sexe, sans penser jamais qu'il fut propre à nul autre usage qu'à celui que je brûlois d'en tirer. Mais quand enfin le progrès des ans m'eut fait homme, mon ancien goût d'enfant s'associa tellement à l'autre, que je ne pus jamais l'écarter des désirs allumés par mes sens, et cette folie, jointe à ma timidité naturelle, m'a toujours rendu très-peu entreprenant près des femmes; faute d'oser tout dire ou de pouvoir tout faire, l'espèce de jouissance dont l'autre n'étoit pour moi que le dernier terme, ne pouvant être usurpée par celui qui la désire, ni devinée par celle qui peut l'accorder. J'ai ainsi passé ma vie à convoiter et me taire auprès des personnes que j'aimois le plus. N'osant jamais déclarer mon goût, je l'amusois du moins par des rapports qui m'en conservoient l'idée. On peut juger de ce qu'ont pu me couter de semblables

aveux, sur ce que dans tout le cours de ma vie, emporté quelquefois près de celles que j'amois par les fureurs d'une passion qui m'ôtoit la facilité de voir, d'entendre, hors de sens, et saisi d'un tremblement convulsif dans tout mon corps, jamais je n'ai pu prendre sur moi de leur declarer ma folie, et d'implorer d'elles dans la plus intime familiarité la seule faveur qui manquoit aux autres. Cela ne m'est jamais arrivé qu'une fois dans l'enfance, avec une enfant de mon âge, encore fut-ce elle qui en fit la première proposition.

Jam redeamus illuc unde divertimus. Si voluptas pathica non potest ita animo concipi, ut per podicem, velut ambage facta, eatur ad mentulam, debemus potius sic statuere et judicare, simili pathicos laborare prurigine podicis, atque alii soleant inguinis, et vero fontem inesse proprium voluptatis in podice, incognitum non expertis.[1] Certe pruriginem podicis sine ullo fuco testatur Martialis VI, 37.

---

1. Ad podicis pruriginem restinguendam Siphnii (Siphnus una ex Cycladibus) hoc moris habebant, ut podicem digito foderent, unde novum id libidinis genus proprio verbo Graeci dixerunt σιφνιάζειν. Suidas: σιφνιάζειν τὸ ἅπτεσθαι τῆς πυγῆς δακτύλῳ.

Secti podicis usque ad umbilicum
Nullas reliquias habet Carinus,
Et prurit tamen usque ad umbilicum.
O quanta scabie miser laborat!
Culum non habet, est tamen cinaedus.

Tulliam quoque hujusmodi pruriginis rabies invasit, ipsa referente apud Aloisiam Sigaeam p. 253. 54. *Cum proficerem nihil, parui furentibus. Tunc pronus inclinat se in nates Aloisius. Pilum postico admovet, pulsat, percutit, post summo nisu irrumpit. Ego gemitum misi. Sed illico extractum ex ulcere telum condit in vulvam, et multo semine depluit in lubricum uteri sulcum. Aggreditur re peracta eodem modo Fabricius. Rapido vibrat hastam puram impetu, totamque brevi in viscera abdidit. It reditque aliquamdiu repetita via, et quod fieri posse non putabam, etiam invasit me nescio cujus pruriginis rabies, ut huic me assuefieri posse rei, si velim, non dubitem.* Confirmat etiam podicis pruriginem Coelius Rhodiginus Lectionum antiquarum libro XV capite X: *Cinaedulos scimus summa, dum turpiter atteruntur, perfrui voluptate:* addita insuper causa, quae vera sit an commenticia viderint medici: *Quibus meatus* (seminis genitalis) *habitu suo naturali privantur, vel quia occoecati sunt qui ad penem tendant, quod spadonibus hisque similibus evenit, vel etiam aliis de causis,*

iis talis humor in sedem confluit. Qui si admodum semine genitali abundant, excrementum illud large in eum locum se colligit. Itaque quum excitata cupiditas est, attritum pars ea desiderat, in quam confluit excrementum. Quibus itaque sedem humor ille adivit, hi pati tantummodo avent.

Quicquid id est, nihil certius voluptate pathica. Tanti enim erat pathicis olim Romanis, rigidum penem in clune habere, ut magnam mentulam non possent videre nisi spumantibus labellis, atque adeo vel ultimum denarium darent, ut conditionibus bene vasatorum fruerentur.

Juvenalis IX, 32 — 36.

Fata regunt homines: fatum est in partibus illis
Quas sinus abscondit. Nam si tibi sidera cessant,
Nil faciet longi mensura incognita nervi,
Quamvis te nudum spumanti Virro labello
Viderit.

Martialis I, 97.

Rogabit, unde suspicer virum mollem.
Una lavamur: adspicit nihil sursum,
Sed spectat oculis devorantibus draucos,
Nec otiosis mentulas videt labris.

Idem II, 51.

Unus saepe tibi tota denarius arca
Cum sit, et hic culo tritior, Hylle, tuo,
Non tamen hunc pistor, non auferet hunc tibi caupo,
Sed si quis nimio pene superbus erit.
Infelix venter spectat convivia culi,
Et semper miser hic esurit, ille vorat.

Quid? quod plausu resonabant balneae, cum intrabant mentulationes solito: Martialis IX, 34.

Audieris in quo, Flacce, balneo plausum,
Morionis illic esse mentulam scito.

Juvenalis VI, 373. 74.

Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
Balnea.

Nec sine arte quadam adhibita officio fungebantur pathici. Continebatur autem disciplina pathicorum duobus potissimum praeceptis, altero ut *vellerentur*, altero ut *ceverent*.

Primum igitur pathicis studiose *exstirpandi* erant *pili* de toto corpore. [u] Depilabant la-

u. Excepto quidem capillo, nam diligenter alebant comam. Horatius Ode X libri IV ad Ligurinum:

bra, brachia, pectora, crura, virilia, ante omnia vero laevigabant aram voluptatis pathicae, podicem. Martialis II, 62.

Quod pectus, quod crura tibi, quod brachia vellis,
Quod cincta est brevibus mentula tonsa pilis,
Hoc praestas, Labiene, tuae, quis nescit? amicae.
Cui praestas culum, quem, Labiene, pilas?

Idem IX, 28.

Cum depilatos, Chreste, coleos portes,
Et vulturino mentulam parem collo,
Et prostitutis laevius caput culis,
Nec vivat ullus in tuo pilus crure,
Purgentque crebrae cana labra volsellae,
Curios, Camillos, Quinctios, Numas, Ancos,
Et quidquid usquam legimus pilosorum
Loqueris, sonasque grandibus minax verbis,
Et cum theatris saeculoque rixaris.
Occurrit aliquis inter ista si draucus,
Nutu vocatum ducis.

Idem IX, 58.

Nil est tritius Hedyli lacernis.
Res una est tamen, ipse non negabit,
Culus, tritior Hedyli lacernis.

---

cum, quae nunc humeris involitant, deciderint comae. Idem Epodo XI. *alius ardor teretis pueri longam renodantis comam* (amore Lyoisci me expediet). Hinc *capillati* audiunt a Martiale III, 58. II, 57. et *comati* XII, 99.

Huc spectat culus Hylli, tritior ultimo hominis denario, apud eundem II, 51. huc vulsum corpus pathici Othonis, apud Suetonium in Othone cap. XII. huc illud Catulli carmine 33 in Vibennium juniorem: *nates pilosas non potes asse venditare.* Idcirco Icelum oravit Galba, ut prius velleretur quam seduceret: Suetonius in Galba cap. XXII. *Libidinis in mares pronior, et eos non nisi praeduros exoletosque. Ferebant in Hispania Icelum e veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem, non modo arctissimis osculis palam exceptum ab eo, sed ut sine mora velleretur oratum, atque seductum.*

Podicem laevigabant vel illi, quibus alias curae erat, ut fronte hirsuta barbaque promissa priscorum philosophorum gravitatem prae se ferrent. Martialis IX, 48.

Democritos, Zenonas inexplicitosque Platonas,
Quidquid et hirsutis squalet imaginibus,
Sic quasi Pythagorae loqueris successor et haeres;
Praependet mento nec tibi barba minor.
Sed quod et hircosis serum est, et turpe pilosis,
In molli *rigidum clune libenter habes.*

Juvenalis II, 8—13.

Fronti nulla fides: quis enim non vicus abundat
Tristibus obscenis? castigas turpia, cum sis

Inter Socraticos notissima fossa cinaedos?
Hispida membra quidem, et durae per brachia setae
Promittunt atrocem animum, sed podice laevi
Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae.

Persius IV, 37, 38.

Tu cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio extat?

Inde est quod Martialis Charidemum jubet nates pilare, ut videatur pathicus magis quam fellator: VI, 56.

Quod tibi crura rigent setis et pectora villis,
Verba putas famae te, Charideme, dare.
Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.
Quae ratio est? inquis. Scis multos dicere multa.
Fac paedicari te, Charideme, putent.

Neque vero pathicorum tantum erat depilari, sed omnino hominum vitam umbratilem ac delicatam ducere suetorum. ^v^ Quintilianus Instit. orat. I, 6. *Igitur ut velli et comam in gradus frangere et in balneis perpotare, quam-*

v. Alas autem vellere necessarium videbatur ad curam corporis: Seneca Epist. 114. *alter se justo plus colit, alter se justo plus negligit: ille et crura, hic nec alas quidem vellit.*

libet haec invaserint civitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione. Mirum, quod cui coma in gradus fracta bilem movit, idem ille Quintilianus lenissime ferendas putavit mulieres cum viris lavantes: V, 9. *nam si est signum adulterae lavare cum viris, erit et convivere cum adolescentibus, deinde etiam familiariter alicujus amicitia uti; ut fortasse corpus vulsum, fractum incessum, vestem muliebrem dixerit mollis et parum viri signa, si cui illa ex impudicitia fluere videantur.* Hujusmodi munditiarum fere muliebrium homines, de capsula totos, non uno loco notavit Martialis: II, 29.

Rufe, vides illum subsellia prima terentem,
Cujus olet toto pinguis coma Marceliano,
Et splendent vulso brachia trita pilo?

Item V, 62. *Crispulus iste quis est, crura gerit nullo qui violata pilo?* Nec talia sprevit ingens animus Julii Caesaris: Suetonius cap. 45. *Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur* (forcipe) *diligenter ac raderetur* (novacula), *sed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt.* Eo pertinent *vasa Samnitica, calefactandae resinae ac pici devellendis hominibus ac laevigandis,* quae in rebus Commodi Pertinacis jussu, auctione facta, palam divenditis numerat Julius Capitoli-

nus in Pertinace capite octavo. Nam utebantur ad pilos exstirpandos aut *volsella*, aut *dropace* sive *psilothro*. Volsellam commemorat Martialis IX, 28, quem locum paulo ante laudavimus. De dropace sive psilothro ab eodem fit mentio III, 74. *psilothro faciem laevas et dropace calvam:* item VI, 93. *psilothro viret:* item X, 65. *laevis dropace tu quotidiano.* Fiebat dropax sive psilothrum ex resina oleo liquata. Plinius Hist. nat. XIV, 20. *Resina omnis dissolvitur oleo, pudetque confiteri, maximum iam honorem eius esse in evellendis virorum corpori pilis.* Aëtius libro primo operis medici: ὁ μὲν ἓν ἁπλέστερος δρώπαξ ἐςὶ ἡ πίττωσις λεγομένη. *Πίττα δὲ ξηρὰ τήκεται μετὰ ἐλαίου πάνυ βραχυτάτου. Ἔπειτα θερμὴ ὅσα ἐπιχρίεται θέρματι καὶ προξυρηθέντων τῶν τόπων προσκολλᾶται, καὶ πρὶν τελέως ψυγῆναι ἀποσπᾶται. Καὶ πάλιν θερμανθέντος τοῦ ἐμπλάσματος παρὰ πυρὶ προσκολλᾶται, καὶ ὁμοίως πρὶν ψυγῆναι ἀποσπᾶται, καὶ τοῦτο γίνεται πολλάκις.* Hinc *resinata juventus* Juvenalis VIII, 114: hinc *fruticante pilo neglecta et squalida crura* Naevoli, cujus

Nullus tota nitor in cute, qualem
Praestabat calidi circumlita fascia visci,

apud eundem IX, 13 — 15. Quid aliud sibi volunt ungues Gargiliani, resina non resecandi, apud Martialem III, 74?

Utrumque pilandi modum conjunxit, puto, Persius IV, 37—41.

Tu cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.

Nam forceps est volsella, et elixae nates referri videntur ad dropacem calidum, quo imposito sane cutis non poterat, quin speciem aliquam coctae carnis indueret. Hunc Persii locum ob oculos habuit Ausonius epigrammate 131.

Inguina quod calido laevas tibi dropace, causa est,
Irritant volsas laevia membra lupas.
Sed quod et elixo plantaria podice vellis,
Et teris incusas pumice Clazomenas,
Causa latet, bimarem nisi quod patientia morbum
Appetit, et tergo femina, pube vir es.

Clazomenae quidem haud dubie sunt nates fractae, ruptae, fissae, quales solent esse pathicorum, uti Carini, cujus *sectum podicem* notavit Martialis VI, 37. ita dictae Graeco vocabulo, nam κλάζω sonat *frango*, ut ludatur in ambiguo urbis nomine: quemadmodum lusisse fertur Gonsalvus Cordubensis, qui, cum paedicare cupiebat, dixit, ire se velle Aversam,

cum ori illudere; in Orientem, cum lingere cunnum, in Liguriam. Quod Clazomenae dicuntur incusae, vult Ausonius, Clazomenas corpori hominis pro natibus quasi cudendo esse impressas; velut si quis nostratium de calvo joculariter diceret: scalpit Calam incusam. Quo quid planius? quid elegantius? Non erat igitur, quod sensum loci latere pronuntiaret Forcellinus. Alii pro *incusas* ediderunt *inclusas*, ut fissura esset intelligenda, natium tumore utrinque inclusa. Sed primum Clazomenae commode illae quidem dici possunt fissae nates, nequaquam autem fissurae ipsae: deinde quis est, qui laevigare miserum fissuram potius quam nates inepte voluisse sibi persuadeat?

Fuerunt qui mulierum ope ingeniose uterentur ad depilandum: dictae officiosae illae *ustriculae*, quod dropace calente cruribus aliisve partibus corporis adglutinato pilos ustularent. Tertullianus de pallio cap. 4. *patiens jam ustriculas:* jocante Salmasio ad hunc locum pagina 284: *olim ustriculae vellendis cruribus repertae, hodie torquendis ingeniis videntur esse.* Num dubitas, Augusto, Suetonio teste cap. 68, *crura solito suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret*, hanc quoque operam suavem commodasse ustriculas?

Deinde mulieres et ipsae lanuginem pubis indigne ferentes pilabantur: * Martialis XII, 32.

---

x. Neque tamen mulieres Graecae hunc morem dedignatae sunt: Aristophanes in Lysistrata v. 89. κομψότατα τὰν βληχὼ γε παρατετιλμένη. item in Ranis v. 519. ὀρχηστρίδες ἡβυλλιῶσαι, κἄρτι παρατετιλμέναι. item in Concionantibus v. 719. τὸν χοῖρον ἀποτετιλμένας. Habuisse vero etiam viros Graecos vulsum cunnum magis in deliciis quam pubem, etsi nostratibus id forsan secus videatur, patet ex loco Aristophanis in Lysistrata v. 151. 52. quo vulsus cunnus in causis ponitur, quod viri arrigant et coire cupiant: (εἰ) γυμναὶ παρίοιμεν δέλτα παρατετιλμέναι στύοιντ' ἂν ἄνδρες, κἀπιθυμοῖεν πλεκεῖν. Sed et vetularum erat, cunnum pilis nimium horrentem vellere, ut minus viderentur annosae. Martialis X, 90.

Quid vellis vetulum, Ligella, cunnum?
Quid busti cineres tui lacessis?
Tales munditiae decent puellas.
Erras, si tibi cunnus hic videtur,
Ad quem mentula pertinere desit.

Interdum et ignominiae causa cunni vellebantur: Aristophanes in Thesmophoriis v. 545. 46. ταύτης ἀποψιλώσομεν τὸν χοῖρον, ἵνα διδαχθῇ γυνὴ γυναῖκας οὖσα μὴ κακῶς λέγειν τὸ λοιπόν. Sic etiam moechos deprensos haec poena manebat, ut podex raphano aut mugili farciendus, adsperso cinere calido cum inguine depilaretur: Aristophanes in Nubibus v. 1079. τί δ', ἢν ῥαφανιδωθῇ πιθόμενός σοι, τέφρᾳ τε τιλθῇ; Suidas sub ῥαφανίς· οὕτω γὰρ τοὺς ἁλόντας μοιχοὺς ἠκίζοντο· ῥαφανίδας λαμβάνοντες καθίεσαν ἐπὶ τοὺς πρωκτοὺς τούτων, καὶ παρατίλλοντες αὐτοὺς θερμὴν τέφραν ἐπέπαττον.

Nec plena turpi matris olla resina,
Summoenianae qua pilantur uxores.

Uti viri mulieribus, ita mulieres callidae vicissim viris pectines tradebant pilandos, stomachante Plinio Hist. nat. XXIX, 1. *pectines in feminis quidem publicati. Ita est profecto: lues morum nec aliunde major quam e medicina.* Ne ipsi quidem imperatores dedignabantur officium devellendi concubinis praestandum: Suetonius de Domitiano cap. 22. *erat fama, quasi concubinas ipse develleret, nataretque inter vulgatissimas meretrices.* Lampridius de Heliogabalo cap. 31. *in balneis semper cum mulieribus fuit, ita ut eas ipse psilothro curaret, ipse quoque barbam psilothro accurans, quodque pudendum dictu est, eodem quo mulieres accurabantur, et eadem hora. Rasit et virilia subactoribus suis ad novaculam manu sua, qua postea barbam fecit.* Quippe pudendum dictu Lampridio visum est, quod illum ipsum dropacem, quem modo mulieres pectinibus pilandis emplastri instar adplicuissent, statim et eadem hora, ante quam foetorem redolere desiisset, barbae adglutinare non dubitaret imperator. —

Sed, ut ad pathicos revertamur, nec eos devellendos curam illustrium amatorum

defecisse, docet exemplum Hadriani, quem, Spartiano auctore cap. 4. *corrupisse Trajani libertos, curasse delicatos, eosdemque saepe levisse per ea tempora, quibus in aula familiarior fuit, opinio multa firmavit.* Quo enim alio modo Hadrianum putemus curasse delicatos, quam quo Heliogabalum curasse mulieres mox vidimus, psilothro? praesertim cum illos statim dicatur etiam saepe levisse, quod sine dubio ita fecisse erit existimandus, ut pane madido lineret faciem pathicorum, vel ad candorem nitoremque cuti conciliandum, vel ne citius barbati essent. Suetonius in Othone cap. 12. *Quin et faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum* (fuisse Othoni traditur), *idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset.* Inde in eundem Othonem aculeus Iuvenalis II, 107. *nimirum summi ducis est curare cutem,*

Et pressum in faciem digitis extendere panem.

Quid mirum, si ejusdem disciplinae usus et mulieribus in deliciis fuit? Quis est, cujus in memoria non penitus insederit mulier ista ab Juvenale mira arte depicta, versiculis 460—472 satirae illius, Salmasio quidem judice divinae, sextae? *Multo pane tumet facies, unde miseri viscantur labra mariti,* ut dubites, *quae mutatis inducitur atque fovetur tot*

medicaminibus, *coctaeque siliginis offus accipit et madidae*, *facies* dicatur, *an ulcus*.

Tandem aperit vultum, et tectoria prima reponit,
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.

Videntur ad infucandam faciem interdum et adhibuisse tectoria ex creta facta, ut cinaedus ille Petronii cap. 23. qui super inguina Encolpii diu multumque frustra moluit: *perfluebant per frontem sudantis acaciae rivi, et inter rugas malarum tantum erat cretae, ut putares detectum parietem nimbo laborare.* At mittamus tandem hunc viscum, ne plane inhaerescere videamur!

Alteram partem disciplinae pathicae versari diximus in *cevendo*. Cevet qui clunes subsultim movet agitatque in opere, ut Venus concinnior et sibi sit, et paediconi. Idem cum faciunt feminae in fututione, dicuntur crissare. Martialis III, 95. *sed paedicaris, sed pulchre, Naevole, ceves.* Juvenalis II, 20—22.

Et de virtute locuti
Clunem agitant: ego te ceventem, Sexte, verebor?
Infamis Varillus ait.

Idem IX, 40. *computat et cevet.* Plautus in Pseudolo III, 2, 75. *Si conquiniscet istic, ceveto simul.*

Quare nonnullis, haud scio an recte, visum est cinaedorum nomen inde ductum, quod soleant *κινεῖν τὰ αἰδοῖα.* Certe femoris facilitas cluniumque agilitas numerantur in virtutibus pathicorum apud Petronium cap. 23. *Intrat cinaedus, qui ejusmodi carmina effudit:*

Huc huc convenite nunc spatalocinaedi,
Pede tendite, cursum addite, convolate planta,
Femore facili, clune agili, et manu procaces,
Molles, veteres, Deliaci manu recisi.

Huc redit epigramma XXXVI libri prioris Hermaphroditi nostri, quod conferas, si tanti. Cum qui cevet alteri morigeretur, ad adulationem transfertur: Persius I, 87. *an Romule ceves?* quemadmodum versa vice irrumare ad contumeliam.

Feminas pariter posse paedicari ac mares, natura ipsa docet, voluisse vero etiam, monumenta vetustatis haud pauca loquuntur. Apulejus Metamorphoseon libro III. p. 138. *Sic nobis gannientibus libido mutua et animos simul et membra suscitat, et omnibus abjectis amiculis hactenus denique intecti*

bacchamur in Venerem, cum quidem mihi jam fatigato de propria liberalitate Fotis puerile obtulit corollarium. Martialis IX, 68.

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis illud puerile poposci:
Ante preces totas primaque verba dedit.

Idem XI, 105. ad uxorem:

Paedicare negas: dabat hoc Cornelia Graccho,
Julia Pompeïo, Portia, Brute, tibi.
Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Juno fuit pro Ganymede Jovi.

Sic et Aloisium et Fabricium experta est Tullia apud Aloisiam Sigaeam, loco supra jam allato. Non aliter Venerem variavit Crispa apud Ausonium epigrammate 71: *molitur per utramque cavernam.*

Mirifice autem Graeci veteres postico usu feminarum delectabantur. Nam dici non potest, quanti fuerint miratores pulchrarum natium, ita ut puellae de praestantia natium publice contenderent, Paridibus ad sententiam dicendam allectis. In agro quidem Syracusano, quemadmodum auctor est Athenaeus XII, 80. rustico duae erant filiae formosae, quae, cum de clunium pulchritudine saepius ambitiose inter se certavissent,

tandem in viam publicam egressae adolescenti Syracusano forte praetereunti spectandas se praebuerunt, qui, judicato natu majoris clunes pulchriores esse, ejus amore flagrare coepit, reversusque in urbem juniori fratri exposuit, quid accidisset. Rus ille profectus, puellis nudis spectatis, alteram amavit. Hae igitur puellae adolescentibus suis, iisque locupletibus, matrimonio mox junctae a civibus καλλίπυγοι vocatae sunt, quod infimo loco natis nates pro dote fuissent, et gratae templum Veneri dedicaverunt, καλέσασαι Καλλίπυγον τὴν θεόν. Quae cum ita sint, non mireris, ut quaeque puella pulchrarum clunium laude esset florentissima, ita ad officium puerile praestandum et exoptatissimam fuisse et paratissimam. Tale officium Mania praestitit Demetrio, teste Machone apud Athenaeum XIII, 42. ita ut regi nates poscenti, praemio accepto diceret: Ἀγαμέμνονος παῖ, νῦν ἐκεῖν' ἔξεςί σοι. Tale corollarium rogavit adolescentulus quidam Ponticus Gnathaenam, quam tota nocte possederat, mane, eodem Machone narrante ibidem XIII, 43. Nihil aliud petiit Demophon, delicatus ille Sophoclis, a Nico timente, ne quid de suis clunibus, quarum quidem laude celebrabatur puella (λέγεται ἐσχηκέναι πυγὴν πάνυ καλὴν), Sophocli commodaret: ibidem XIII, 45. Ingeniose autem deprecata est hanc pa-

tientiam Gnathaenium ibidem XIII, 44. Nam cum faber quidam aerarius illiberaliter inter suos gloriatus esset, se meretricula illa quinquies deinceps equitem vectatum fuisse (ἐξῆς καθιππάσαι ἐπ' αὐτῆς πεντάκις), Andronico, quem alias unice in deliciis habebat, re cognita graviter cum illa querenti, quod quo schemate furciferum istum abunde frui passa esset, id ne precibus quidem impetrare ipsi contigisset, respondit Gnathaenium, tangi se noluisse mammas ab homine squaloreque et fuligine obsito, et propter hanc caussam schema se illud callide excogitavisse, nihil ut, nisi et extremam et minimam miseri partem caperet. Imaginem viri paedicantis feminam dat tabula XXVII in Monumens du culte secret d. d. R.

Neque tamen sine aliquo incommodo atque adeo periculo officium praestari pathicum, docet magistra voluptatium Aloisia pag. 308. et sequente: *Acerrimi incutiuntur oppresso cruciatus, ac plerumque, si crassior infindat contus, teterrimi ex ea morbi petulantia enascuntur, quos nulla Aesculapii curet industria. Disruptis musculorum vinculis contingit postea excrementa effluere etiam invitis. Quo quid turpius? Novi tam diris inde afflictatas feminas nobiles aegritudinibus enatorum et pullulantium ulcerum, ut*

sanitati post duos tresve annos vix sint restitutae. Ego quidem (Tulliam audis) ex Aloisii Fabriciique sacris amplexibus non evasi omnino sana. Primum dum pila infigunt, vehementem tuli cruciatum: mox levis aegram solata est titillationis umbra. Postquam vero domum redii, ardentissimus rursus me dolor cepit in ea parte, quam laceraverant. Incendio torrebar prurienti. Et sane Ursinae ope ignis hic sacer vix restinctus est. Pereundum erat miserae neglectis vulneribus.

Jam intelliges, cur puero Naevoli doluerit culus, apud Martialem III, 71; cur idem VI, 37. podicem Carini dixerit sectum; quid sibi velit morsus ejusdem IX, 48.

Tu qui sectarum causas et pondera nosti,
Dic mihi, percidi, Pannice, dogma quod est?

Debebat enim mollis iste philosophus, quasi Pythagorae successor et haeres loqui solitus, sectarum etiam natium causas et mentularum pondera nosse. Pathicorum morbo laboravit is quoque, cui incusas pro natibus Clazomenas risisse Ausonium supra vidimus.

Maluerunt paedicones videri quam pathici. Hinc festivum illud epigramma Martialis XI, 89.

Multis jam, Lupe, posse se diebus
Paedicare negat Charisianus.
Causam cum modo quaererent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.

Visne cernere pictam paedicantis imaginem, opere quidem importune interrupto, sed nihil minus festivam? Praebebit tabula capiti tertio partis tertiae Feliciae adjuncta.

Et Graecos et Romanos fuisse tam acerrimos paedicones, quam fortissimos einaedos, quis est quin sciat? cum in auctoribus Graecis Romanisque, indignantibus scholarum magistris, utramque paginam faciat mascula Venus. *Eodem omnes furore*, verba sunt Aloisiae Sigaeae pag. 299—304. quibus non potuimus aut aptiora aut elegantiora dare, adnotationibus tamen nostris illustrata, *ardebant, plebs, magnates et reges. Philippum, Macedonum regem*, [y] *haec insa-*

---

y. Paulo secus Justinus IX, 6. *Hic Pausanias primis pubertatis annis stuprum per injuriam passus ab Attalo fuerat, cujus indignitati haec etiam foeditas accesserat: nam perductum in convivium solutumque mero Attalus non suae tantum, verum et convivarum libidini, velut scortum vile, subjecerat, ludibriumque omnium inter aequales reddiderat. Hanc rem aegre ferens Pausanias querelam Philippo saepe detulerat. Cum variis frustrationibus, non sine risu, differretur, et honoratum insuper ducatu adver-*

nia confodit Pausaniae manu, quem compresserat. Haec Julium Caesarem ² *Nicomedi regi subjecit, omnibus hominibus in feminam vertit, ut omnibus mulieribus* ᵃ *vir*

---

sarium cerneret, iram in ipsum Philippum vertit, ultionemque, quam ab adversario non poterat, ab iniquo judice exegit.

z. Suetonius in Julio Caesare cap. 49. *Cicero non contentus in quibusdam epistolis scripsisse, a satellitibus eum in cubiculum regium eductum, in aureo lecto, veste purpurea decubuisse, floremque aetatis in Bithynia contaminatum, quondam etiam in senatu defendenti Nysae causam, filiae Nicomedis, beneficiaque regis in se commemoranti, remove, inquit, isthaec, oro te, quando notum est, et quid ille tibi, et quid illi tu dederis. Gallico denique triumpho milites ejus inter cetera carmina, qualiter currum prosequentes ilocaliter canunt, etiam vulgatissimum illud pronuntiaverunt:*

Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem.
Ecce Caesar nunc triumphat, qui subegit Gallias,
Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem.

Catullus carmine 57. *pulchre convenit improbis cinaedis Mamurrae pathicoque Caesarique.*

a. Suetonius in J. Caes. c. 51. *Ne provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse, vel hoc disticho apparet, jactato aeque a militibus per Gallicum triumphum:*

Urbani, servate uxores, moechum calvum adducimus.
Aurum in Gallia effutuisti: hic sumsisti mutuum.

erat. Augustus id dedecus non fugit. Tiberio et Neroni pro laude fuit. Tigellino,

Idem c. 52. *Helvius Cinna tribunus plebis plerisque confessus est, habuisse se scriptam paratamque legem, quam Caesar ferre jussisset, quum ipse abesset, uti uxores liberorum quaerendorum causa, quas et quot ducere vellet, liceret. Ac ne cui dubium omnino sit, et impudicitiae eum, et adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam eum oratione omnium mulierum virum, et omnium virorum mulierem appellat.*

b. Suetonius in Augusto cap. 68. *Sextus Pompejus eum ut effeminatum insectatus est, Marcus Antonius adoptionem avunculi* (immo magni avunculi) *stupro meritum. Sed et populus quondam universus ludorum die et accepit in contumeliam ejus, et assensu maximo comprobavit versum in scena pronunciatum de Gallo matris deum tympanizante: videsne ut cinaedus orbem digito temperet?* Imaginem Augusti Caesari substrati spectes in *Monumens de la vie privée des douze Césars*, tabula VI, Caesarisque Nicomedi ibidem tabula I.

c. Suetonius in Tiberio c. 44. *Fertur etiam in sacrificando quondam captus facie ministri acerram praeferentis nequisse abstinere, quin paene vixdum re divina peracta ibidem statim seductum constupraret, simulque fratrem ejus tibicinem, atque utrique mox, quod mutuo flagitium exprobrarant, crura fregisse.* Impotentis hominis facinus pictum adspicias tabula XX. operis Hancarvilliani modo laudati.

d. Immo Pythagorae. Tacitus Annal. XV, 37. *Nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagorae fuit, in modum*

nupsit Nero, Sporus Neroni. *Trajanum optimum principem paedagogium comitabatur, orientem totum victoriis peragrantem. Venustorum et formosorum turmam puerorum, quos in complexus suos dies noctesque*

---

solemnium conjugiorum denupsisset. Inditum imperatori flammeum, visi auspices, dos et genialis torus, et faces nuptiales: cuncta denique spectata, quae etiam in femina nox operit. Quem Tacitus Pythagoram dixit, idem videtur, cui Doryphori nomen, sive ab officio, sive per errorem, imposuit Suetonius in Nerone cap. 29. *Doryphoro liberto etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit: voces quoque et ejulatus vim patientium virginum imitatus.* Imaginem praebet tabula XXXVIII. operis citati.

e. Suetonius in Nerone c. 28. *Puerum Sporum, exsectis testibus etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus, cum dote et flammeo persolemni nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit. Exstatque cujusdam non inscitus jocus, bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset uxorem. Hunc Sporum, Augustarum ornamentis excultum lecticaque vectum, et circa conventus mercatusque Graeciae ac mox Romae circa sigillaria comitatus est identidem exosculans.* Pictas exhibet prodigiosas nuptias tabula XXXIV operis Francogallici, toties a nobis in partem vocati.

f. Spartianus in Hadriano cap. 2. *Fuit* (Hadrianus) *in amore Trajani, nec tamen ei per paedagogos puerorum, quos Trajanus impensius diligebat, Gallo favente defuit.* Vix potui mihi temperare, quo minus deleto turbante isto *Gallo favente* cum Grutero scriberem *malefaventia defuit.*

ciebat, paedagogium vocabant. Antinous Hadriano pro domina fuit, Plotinae rivalis, sed felicior. Mortuum luxit imperator, et qui in vivis esse desierat, retulit in deos, aris et sacellis consecratis. Antonium Heliogabalum, Severi nepotem, per omnia cava corporis, ut loquitur vetus scriptor, Venerem

---

g. Spartianus in Hadriano cap. 14. *Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit, quem muliebriter flevit; de quo varia fama est, aliis eum devotum pro Hadriano asserentibus, aliis quod et forma ejus ostentat, et nimia voluptas Hadriani. Et Graecos quidem volente Hadriano eum consecraverunt, oracula per eum dari asserentes, quae Hadrianus ipse composuisse jactatur.* Hieronymus in Hegesippo: *Antinous servus Hadriani Caesaris, cujus et gymnicus agon exercetur Antinoius, civitatemque* (Antinoiam) *ex ejus nomine condidit, et statuit prophetas in templo.*

h. Lampridius in Heliogabalo c. 5. *Quis enim ferre posset principem, per cuncta cava corporis libidinem recipientem, quum ne belluam quidem talem quisquam ferat? Romae denique nihil egit aliud, nisi ut emissarios haberet, qui ei bene vasatos perquirerent, eosque ad aulam perducerent, ut eorum conditionibus frui posset. Agebat praeterea domi fabulam Paridis, ipse Veneris personam subiens, ita ut subito vestes ad pedes defluerent, nudusque una manu ad mammam, altera pudendis adhibita, ingeniculares, posterioribus eminentibus in subactorem rejectis et oppositis.* Et mox cap. 6. *Hieroclem vero sic amavit, ut eidem inguina oscularetur, quod dictu etiam verecundum est, Floralia sacra se asserens celebrare.* Non dubitavit repetere pro-

excipere solitum, sua tempora pro monstro habuere. Huic etiam Veneri severa philosophiae gravitas saltavit, paederastiae choro mista. Alcibiades et Phaedon cum Socrate[i] *dormiebant, si quando alacrem vellent praeceptorem. Ab tam sancti viri amoribus duxit originem haec dicendi in Venereis for-*

pudiosas nuptias Neronis et Pythagorae. Lampridius cap. 10. *Zoticus sub eo tantum valuit, ut ab omnibus officiorum principibus sic haberetur, quasi domini maritus esset. Nupsit et coiit, ut et pronubum haberet, clamaretque: concide, Magire, et eo quidem tempore, quo Zoticus aegrotabat.* Magirus dictus Zoticus ab artificio patris coqui.

i. Neque tamen defuisse Socrati defensores strenuos, quis est, quem fugiat? Sit tibi instar omnium unus Bruckerus, Hist. crit. philos. I, 539. 40. Certe Alcibiadem Plato in Symposio, ut verbis utar Nepotis in Alcibiade c. 2. *induxit commemorantem, se pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit.* Xanthippen quidem, an mirum? graviter tulisse maritum tam familiariter uti formoso Alcibiade, refert Aelianus Variae historiae XI, 12. ita ut placentam Socrati ab Alcibiade dono missam pedibus conculcaret, dicente Socrate risu sublato: neque tu igitur quidquam ex ea habebis! Quid autem tu? quaeris. Non assis facio; sed habere, Socrate, mores vix poteras hos, et hos amicos. De Socraticis nominasse suffecerit Platonem, quem Diogenes Laërtius III, 23. amasse tradit Asterem, Phaedrum, Alexin, inprimis Dionem, adjecto epigrammate Platonis in Dionem, ita desinente: ὦ ἐμὸν ἐκμήνας θυμὸν ἔρωτι Δίων.

mula: Socratica fide diligere. Omnia Socratis facta dictave omnibus philosophorum sectis sacra: illi sacellum conditum et ara erecta, facta legis vim, dicta oraculi auctoritatem habuere. Philosophi ab herois, nam inter heroes relatus Socrates, indigetisque sui exemplo non descivere. Lycurgus, qui Laconum legislator aliquot ante Socratem saeculis bonum et utilem esse posse civem negavit, cui non esset concubinus amicus, volebat nudas virgines in theatro palam exerceri, ut liberior hic adspectus amoris adiem, quo natura ferente rapiuntur ad illas homines, obtunderet, et in amasios et sodales ardentiorem converteret. Nam non ita tangunt adsueta. De poëtis quid loquar? k

---

k. De Pindaro Valerius Maximus IX, 12. *At Pindarus quum in gymnasio super gremium pueri* (Theoxeni, Suida teste) *quo unice delectabatur, capite posito quieti se dedisset, non prius decessisse cognitus est, quam, gymnasiarcha claudere jam eum locum volente, nequicquam excitaretur.* De Sophocle Athenaeus XIII, 81. φιλομεῖραξ ἦν ὁ Σοφοκλῆς, ὡς Εὐριπίδης φιλογύνης· lepida mox cap. 82. addita narratiuncula de puero a Sophocle jactura laenae compresso, qua rapta puer aufugerit, quod ut cognoverit Euripides, irriso decepto poëta dixisse: se et ipsum aliquando usum esse puero illo, sed nihil amplius addidisse: quo Athenaei loco miror verbum προςθεῖναι suspectum visum esse magno Casaubono, quo nihil verius, nihil aptius. Uterque puero dedit album virus, sed alter addidit laenam, alter non addidit.

Anacreonta [l] *urebat Bathyllus.* Plauti plerae que omnes *facetiae versantur circa haec.* Hujus sunt generis: faciam [m] quod pue-

1. Horat. Epodo XIV, 9. 10. *non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium.*

m. Immo Plauti verba Cistellaria IV, 1, 5. haec sunt: *faciundum est puerile officium, conquiniscam ad cistulam*, id est, incurvabo me ad cistulam humo tollendam, eorum more, qui culo obverso paediconibus obsequuntur. Nam puerile officium idem est, quod Apulejus Metamorph. III. p. 138. *puerile* dixit *corollarium*, et Martialis IX, 68. *puerile* simpliciter; conquiniscere autem, Nonio teste p. 531. Gothofredi, est inclinari, et peculiariter dictum videtur de gestu pathico, ut in Pseudolo III, 2, 75. *si conquiniscet istic, ceveto simul.* Dixerunt etiam, aliquanto fere significantius, ocquiniscere. Nonius p. 567. *Ocquiniscere est proprie inclinari. Pomponius Prostibulo: ut nullum civem paedicavi per dolum, nisi ipsus orans ultroque ocquinisceret. Idem Pistore: nisi nunc aliquis subito obviam occurrit mihi, qui ocquiniscat, quo compingam terminum in tutum locum.* A gestu ocquiniscentis non multum abludit, sed aliquantulum tamen, gestus ingeniculantis, quo Heliogabalus, Lampridio teste cap. 5. usus est, *posterioribus eminentibus in subactorem rejectis et oppositis.* Ingeniculabat, non conquiniscebat, Timarchus ille Luciani in Apophrade p. 152 tomi. VII. Operum a Jo. Petro Schmidio editorum: *καὶ μέμνηνται οἱ τότε ὑμῖν ἐπιςάντες, καὶ σὲ μὲν ἐς γόνυ συγκαθήμενον ἰδόντες, ἐκεῖνον δὲ οἶσθα ὅ, τι καὶ ποιοῦντα, εἰ μὴ παντάπασιν ἐπιλήσμων τις εἶ.* Vis tu spectare utrumque gestum? in Monumens de la vie pr. d. d. C. habebis tabula XXVII conquiniscentem, tabula XXXVIII ingeniculantem. Cum rure cacatu-

ri solent, conquiniscam ad cistulam; et convenie batne machaera militis in vaginam tuam? *Ille*, imo *poëticae artis apex, Maro, qui Parthenias appellatus ab ingenuo et ingenito pudore, Alexandrum dono sibi a Pollione datum amabat et sub Alexis nomine laudavit.* o *Ovidium idem morbus tentavit, praetulit tamen puellas pueris; quod voluptatem his in lusibus vellet communem, non sibi proprium. Amare se Venerem ait,* p *quae utrumque re-*

---

pientes soleant conquiniscere, factum est, ut etiam ii, qui paedicarentur, cacare dicerentur, et cacare quidem mentulam, quam alternis ineuntem et exeuntem pathicus sane videri potest cacare. Hinc illud in Priapeio LXX. *ad me respice fur, et aestimato, quot pondo tibi mentula est cacanda.* Eodem spectat epigramma 70 libri IX apud Martialem:

Cum futuis, Polycharme, soles in fine cacare.
Cum paedicaris, quid, Polycharme, facis!

n. Pseudolo IV, 7, 85.

o. Et poteras, Aloisia, et vero debebas Horatium addere: Epodo XI. *nunc amor Lycisci me tenet, unde expedire non amicorum queant libera consilia, non contumeliae graves.* Sat. I, 2, 116—119.

Tument tibi cum inguina, num, si
Ancilla, aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego.

p. De arte amatoria II, 683. 84.

Odi concubitus, qui non utrumque resolvant.
Hoc est cur pueri tangar amore minus.

solvat. Hinc fieri, quod pueri amore minus tangatur. Quum se negligi viderent puellae ab iis, quos amarent, et uxores ab iis, in quorum sacra per nuptias venerant, si muliebri tantum mererent stipendio, ad puerile deflexere officium. Eo res adducta vecordiae, id etiam novis ut prius nuptis extorqueretur, dehinc per puerum ad puellam iretur, uterque utrique uno in corpore sexus confunderatur. Priapus in veterum lusu, qui accesserit ad stipitem suum olerum fur, hunc daturum minatur, [q] *quod virgo prima dat nocte cupido marito, alterius loci dum inepta vulnus timet. Fingit, nam quidlibet audendi aequa fuit semper potestas pictoribus et poëtis, Valerius Martialis* [r] *sibi uxorem obmurmurantem nates etiam esse, quo de-*

---

q. Priapeio secundo.

r. Epigr. 44. libri XI.

Deprensum in puero tetricis me vocibus uxor
Corripis, et culum te quoque habere refers.
Dixit idem quoties lascivo Juno tonanti?
Ille tamen gracili cum Ganymede jacet.
Incurvabat Hylam posito Tyrinthius arcu:
Tu Megaram credis non habuisse nates?
Torquebat Phoebum Daphne fugitiva, sed illas
Oebalius flammas jussit abire puer.
Briseïs multum quamvis aversa jaceret,
Aeacidae propior laevis amicus erat.
Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus,
Teque puta cunnos, uxor, habere duos.

terreret a puerorum amore amentem. Junonem hac ait parte placere Jovi; nec tamen se suaderi: aliam esse pueri partem, aliam feminae. Utatur uxor parte sua jubet. Sed sedebant [rr] *in fornicibus pueri puellaeve sub titulis* [s] *et lychnis; illi femineo comti mun-*

Simile illud ejusdem XII, 98.

Cum tibi nota tui sit vita fidesque mariti,
Nec premat ulla tuos solicitetque toros;
Quid quasi pellicibus torqueris inepta ministris,
In quibus et brevis est et fugitiva Venus?
Plus tibi quam domino pueros praestare probabo.
Hi faciunt, ut sis femina sola viro.
Hi dant, quod non vis uxor dare. Do tamen, inquis,
Ne vagis a thalamis conjugis erret amor.
Non eadem res est: Chiam volo, nolo mariscam,
Ne dubites, quae sit Chia, marisca tua est.
Scire suos fines matrona et femina debet.
Cede suam pueris, utere parte tua.

rr. Sedebant *prosedae* Plauti in Poenulo I, 2, 54. aliae stabant: Horat. Sat. I, 2, 30. *alius (vult) nullam, nisi olenti in fornice stantem.*

s. Juvenalis VI, 123. titulum *mentita Lyciscae* (Messalina). Petronius c. 7. *video quosdam inter* titulos *nudasque meretrices furtim conspatiantes. Tarde, immo jam sero, intellexi, me in fornicem esse deductum.* Martialis XI, 46.

Intrasti quoties inscriptae limina cellae,
Seu puer arrisit, sive puella tibi.

Meretrices autem nomen mutasse constat ex loco Plauti in Poenulo V, 3, 20. 21.

Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quaestum corpore.

do sub stola, hae parum comtae sub puerorum veste, ore ad puerilem formam composito. Alter venibat sexus sub altero sexu. Prima mali sedes Asia; u *nec tamen Africa ab hac peste pura, quae per contagium mox Graeciam et contiguas Europae partes* v *per-*

---

t. Horat. Sat. II, 7, 48.

Sub clara nuda lucerna
Quaecunque excepit turgentis verbera caudae.

Juvenalis VI, 130. 31.

Fumoque lucernae
Foeda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

u. Variant auctores. Herodotus I, 135. *Πέρσαι ἀπ' Ἑλλήνων μαθόντες παισὶ μίσγονται.* Plutarchus de malignitate Herodoti p. 857. tomi II. Operum Francofurti anno 1620 typis impressorum: *καίτοι πῶς Ἕλλησι Πέρσαι διδασκάλια ταύτης ὀφείλουσι τῆς ἀκολασίας, παρ' οἷς ὀλίγου δεῖν ὑπὸ πάντων ὁμολογεῖται, παῖδας ἐκτετμῆσθαι πρὶν Ἑλληνικὴν ἰδεῖν θάλασσαν;* Athenaeus XIII, 79. *τοῦ παιδεραστεῖν παρὰ πρώτων Κρήτων εἰς τοὺς Ἕλληνας παρελθόντος, ὡς ἱστορεῖ Τίμαιος. Ἄλλοι δέ φασι τῶν τοιούτων ἐρώτων κατάρξασθαι Λάϊον, ξενωθέντα παρὰ Πέλοπι, καὶ ἐρασθέντα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Χρυσίππου, ὃν καὶ ἁρπάσαντα καὶ ἀναθέμενον εἰς ἅρμα εἰς Θήβας φυγεῖν.* Et cui non est audita Sodomitarum antiquissima intemperantia?

v. Nominatim Euboeam, unde *χαλκιδίζειν*, Hesychio auctore, ponitur *ἐπὶ τῶν παιδεραστούντων*, quoniam apud Chalcidenses *ἐπλεόναζον οἱ παιδικοὶ ἔρωτες.* Dixerunt etiam *φικιδίζειν*, ab ignota civitate; Suidas: *καὶ φικιδίζειν ἐπὶ τοῦ παιδεραστεῖν.* Similiter *σιφνιάζειν*, a Siphno insula

vasit. Orpheum in Thracia foetulenti ludi inventorem et suasorem spretae Ciconum matres[x].

> Inter sacra deum nocturnaque orgia Bacchi
> Discerptum latos juvenem sparsere per agros.

Celtas narrant[y] vetustis illis temporibus, si qui se hoc a morbo praestarent incolumes, ludibrio habuisse: nec munerum, nec honorum participes erant. Qui puros sibi servarent mores, effugiebantur ut impurati. Non juvat in publica totius civitatis dementia esse solum sapientem, et qua non juvat nec etiam decet. Habes Aloisiae luculentam orationem!

Neque vero etiam recentioribus temporibus[z] masculae Veneris amorem evanuisse argu-

---

maris Aegei; Hesychius: σιφνιάζειν καταδακτυλίζειν· διαβέβληνται γὰρ οἱ Σίφνιοι ὡς παιδικοῖς χρώμενοι. Alio quoque detorqueri verbum σιφνιάζειν, supra vidimus.

x. Virgilius Georg. IV, 521. 22.

y. Athenaeus XIII, 79. καὶ Κελτοὶ δὲ, τῶν βαρβάρων καίτοι καλλίστας ἔχοντες γυναῖκας, (quid mirum, miratorem albi cunni tam omnivolum, quam Julium Caesarem fuisse constat, non abstinuisse provincialibus matrimoniis in Gallia?) παιδικοῖς μᾶλλον χαίρουσιν· ὡς πολλάκις ἐνίους ἐπὶ ταῖς δοραῖς μετὰ δύο ἐρωμένων ἀναπαύεσθαι.

z. Veniam dabis, medioxime Marce Pullarie, quod te propemodum praeterivimus. Ausonius epigrammate 70.

mento sunt Persae, quos huic voluptatis generi deditissimos esse ii referunt, qui illas regiones peragraverunt, ut Adamus Olearius libro V. cap. 15. Itinerarii: Itali atque Hispani, si fides Aloisiae loco jam ad Hermaphroditum pag. 55 allato: Batavi, apud quos medio circiter saeculo XVIII hanc consuetudinem ita invaluisse narrat Jo. Davides Michaelides in Jure Mosaico, patria lingua edito, paragrapho 258, ut non nisi capitis poenis coerceri posset: Parisienses, memorante Gynaeologiae Germanica lingua conscriptae auctore, a multiplici scientia instructo, tomo II. p. 427. insuper addente, in omnibus fere magnis Europae urbibus etiamnum reperiri, qui, sive gaudiorum consuetorum satietate, sive morbi turpis metu, posticam Venerem anticae praeferendam ducant, exceptis Anglis, quibus ea res exsecrandissimum nefas videatur: et ne generatim tantum atque universe loquamur, Gon-

---

Quis Marcus? Feles nuper Pullaria dictus,
Corrupit totum qui puerile decus,
Perversae Veneris postico vulnere fossor,
Lucili vatis subulo, pullipremo.

Pullariam felem dicit, qui, ut felis (nam feles idem quod felis) aves, ita ipse pueros captaret, ac Lucilii verbis (cujus ergo satiras ut adhuc legeret tam felici esse contigit Ausonio) *subulonem*, podices cinaedorum pene quasi subula sutoria percidentem, et *pullipremonem*, puellos comprimentem et subigentem.

salvi[a] Cordubensis et Vendomii,[b] belli ducum praestantissimorum exempla, annalium monumentis satis vulgata, quibus etiam illustriora quaedam nostrae aetatis, fama audaci ferente, adjungere possemus, scriptoris magni, regis maximi, p. o. ejusque cum ingenii acumine, tum dicendi copia, tum plurimarum literarum, nec earum vulgarium, sed interiorum et reconditarum laude unius omnium, quoad vixit, florentissimi,[c] ita ut vel illi viro, in quo tantam Ciceronianae eloquentiae vim hodie et laetamur et admiramur enitere, quantam post magni Ernestidis excessum non vidit Germania, Sphingiacum proponeret aenigma, nisi vereremur, ne quid invi-

---

a. Aloisia III, 48. *Si puerum, nam et paedico erat acerrimus* (Gonsalvus Cordubensis,) *prurienti cuperet peni, dicebat, Aversam se cogitare, celebrem urbem.*

b. Vide saeculi XVIII historiam a Christiano Dan. Vossio Germanice scriptam parte V. p. 364. Nam paedicones minorum gentium, de quibus mentio facta est ab vidua Philippi, primi Aurelianensis ducis, festivissimis literis ante haec septem lustra demum in lucem editis, p. 74. 284. 350. purpuratus Bullionensis, eques Lotharingicus, comes Marsanensis, Franciscus Ludovicus princeps Contiacensis, cum comite Veromanduensi cinaedo, inferiori hocce loco contenti sunto.

c. Absit malignus interpres! Improbe facit, qui in alieno libro ingeniosus est.

18

-diae nostrà aliqua culpa, quanquam citra omnem voluntatem nostram atque sententiam, accederet sanctae memoriae virorum excellentissimorum.

At quid exempla petimus aliunde, quae in numerato habeamus in ipso Hermaphrodito nostro? An exciderunt tibi pathici, Mamurianus I, 12. Lentulus I, 14. Quintius I, 17. Sterconus II, 6? aut paedicones, Pegasus I, 7. Senenses I, 13. Corydon I, 17. Matthias Lupius I, 26. 36. Amilius I, 34. Philopappa II, 6. Succinus II, 17? Novos vero desideras? Multus est in utroque genere Pacificus Maximus. Elegia I. pag. Parisiensi 107.

Causa mei moris solus fuit ipse magister,
Cui pater et mater, hei, me male cauta dedit.
Rex paediconum fuit hic, non unus ab hujus
Effugit manibus, talis in arte fuit.
Multa quidem didici, quae non didicisse juvaret:
Plurima per culum, multa per ora bibi.

Idem elegia II ad Ptolemaeum p. 110.

Jam tibi servantur, quascunque, ingrate, paravi,
Et nisi tu, nostras nullus habebit opes.
Illa etiam major multo est mea mentula: septem
Tunc habuit digitos, nunc habet illa decem.

Idem elegia IV ad Marcum p. 113.

Non meliore mihi poteris occurrere, Marce,
Quam nunc, non ullo commodiore loco.

Arbiter omnis abest, locus est sine judice tutus,
Femina nil poterit, masque referre nihil.
Hic inter salices et prata virentia fiet,
Frondibus immixtos arbor opaca teget.
Rivulus hic dulci suadebit murmure somnos,
Multaque de ramis quae bene cantat avis.
Huc ades, atque sinus paulatim inlabere nostros,
O desiderii cura laborque mei!

Idem elegia XIV. p. 128.

Ad me cum puerum talem duxisset Etruscus,
Qualem rara solet mensa videre Jovis,
Hunc ait apprensa tota tibi tradimus aure,
Haereat ut lateri nocte dieque tuo.
Dique deaeque velint isto tenearis amore;
Si paedicabis, non nisi doctus erit.
Tunc ego, libertas placet haec concessa pudori,
Cogor et officio parcior esse tuo.
Ne dubita, bonus est, melior jam fiet, ab omni
Doctrinam dices parte bibisse meam.
Laetus abit, capio laetus mea gaudia, longam
Omne mihi visum est tempus habere moram.
O macte virtute patrem solumque probandum,
Et qui tam magna solus in urbe sapit.
Hic puero culum, penem ligat ille magistro,
Creditis hoc stulti discere posse modo?
O fortunatum cui me fecere magistrum,
Grataque cui talem fata dedere patrem.

Idem elegia XV. p. 131.

Mentula si moritur, moritur non ulla voluptas,
Paedicare senex si nequit, usque cupit.

Idem elegia XX. p. 139.

Mentula tam parva est, tam pars mihi deficit illa,
Ut mihi non natam vel cecidisse rear.
Tangere non digitis, oculis nec cernere possum,
Hisque bonis nimium sors mea lenta fuit.
Terque sequi possem Cybele non inguine secto,
Nil opus est testa, jam tibi Gallus eram.
Turpe quidem dictu, liceat sed vera fateri,
Nullus me pejor vixit in orbe puer.
Dum potui, foedae Veneri servire paravi,
Hanc paediconum duxerat usque manus.
Viscera versarunt magnique et mille mutones,
Calcatusque die nocteque culus erat.
Si paedicari quicquam valuisset in illa,
Tenta caput posset tangere, pressa pedes.
Nil mihi profecit, nil haec mihi crevit, et usu
Consumta est nimio forsitan illa suo.
Quilibet hoc unum puer, ut sua mentula crescat,
Optat, et ut magnam compleat illa manum.
Itque frequens rumor, nimium prodesse tenere:
Haec una est vitii maxima causa mali.
Tantam quisque geret, quantam natura creabit:
Haec faciet longam, si volet, atque brevem.
Ne confidatis natibus: sunt omnia ficta.
Quo paedicemus, dicimus ista, mares.
Et placeat nulli vos subdere more ferarum,
Sitque per amplexus ora dedisse satis.
Inde calet culus, digitisque evellitur, inde
Ficus habet miseras atque marisca nates.
Inde aliquem vidi tanto pallore teneri,
Ut faciem credas immaduisse croco.

Adde quod hinc olidas hircus celer ibit in alas,
Mirandosque dabit barba molesta pilos,
Et saepe in partes centum discinditur illi,
Ut sit opus sarcias ustulet igne nates.
Non aliter vidi nimio vel sole vel imbre
Punica disrumpi cortice mala suo.

Jam satis paedicavimus. Nunc irrumandum est.

Caput III.[d]

DE IRRUMANDO.

Penem in os arrigere dicitur *irrumare*, quod proprie est mammam praebere: nam *rumam*, Nonio teste pagina 579 Gothofredina, *veteres mammam dixerunt.* Penis ori immissus perfricari vult vel labris vel lingua, atque exsugi. Id si quis officii peni praestat, *fellat:* nam sugit: et fellare priscis erat sugere, eodem Nonio auctore p. 547. Convenit Graecum θηλάζω, quemadmodum conveniunt θὴρ et φὴρ *fera,*

---

d. Ecce tibi eadem computatio, quae in Priapeio XII:

Percidere puer, moneo, futuere puella,
Barbatum furem tertia *poena manet.*

θύλλις et *φύλλις follis*, *θερμός* et *φερμός formus warm*, *θλίβω* et *φλίβω*, *θλάω* et *φλάω*.

Inventores spurcitiei feruntur Lesbii. Scholiastes ad versum 1337 Vesparum Aristophanis testem citat Theopompum in Ulysse: *ἵνα μὴ τὸ παλαιὸν τῦτο καὶ θρυλλέμενον δι' ἡμετέρων ςομάτων εἴπω σόφισμα, ὅ φασι παῖδας Λεσβίων εὑρεῖν.* Hinc *λεσβιάζειν* sive *λεσβίζειν* dixerunt eos, qui Lesbiorum morem vel irrumando vel fellando imitarentur. Suidas: *Λεσβίσαι, μολῦναι τὸ ςόμα. Λέσβιοι γὰρ διεβάλλοντο ἐπὶ αἰσχρότητι.* Idem sub *σιφνιάζειν· λεσβιάζειν τὸ τῷ ςόματι παρανομεῖν.* e Ac de fellando quidem verbo usus est Aristophanes in Vespis versu 1337.

Ὁρᾷς, ἐγώ σ' ὡς δεξιῶς ὑφειλόμην
μέλλεσαν ἤδη λεσβιεῖν τὲς ξυμπότας.

item in Ranis v. 1343.

Αὕτη ποθ' ἡ μῦσ' ἐκ ἐλεσβίαζεν; f

---

e. Prorsus ambigue Eustathius p. 741. *λεσβιάζειν τὸ αἰσχροποιεῖν.*

f. Quo haud scio an pertineat illud in Concionantibus v. 915.

ἤδη τὸν ἀπ' Ἰωνίας
τρόπον τάλαινα κνησιᾷς·
δοκεῖς δ' ἐμοὶ καὶ λάβδα κατὰ τὲς Λεσβίες.

Videtur fellatrix Labda dici a prima litera in *λεσβιάζειν*, sed locus est persolus, nam in Var-

de irrumando autem Hesychius: *Λεσβιάζειν πρὸς ἄνδρας, στόμα στύειν.*

Junguntur interdum *λεσβιάζειν* et *φοινικίζειν*, quasi et Phoenicum *σόφισμα* esset. Lucianus in Apophrade p. 165 tomi VII Operum: *πρὸς θεῶν εἰπέ μοι τί πάσχεις, ἐπειδὰν κἀκεῖνα λέγωσιν οἱ πολλοὶ λεσβιάζειν σε καὶ φοινικίζειν.* Quomodo autem differant inter se *λεσβιάζειν* et *φοινικίζειν*, inde non cognoscitur. Certe Timarchus, contra quem tam acriter disputat Lucianus, fellabat. Id docent proxime sequentia; nam cum ad coenam quandam nuptialem Cyzici venisset, ejectus est, hera illi oris obscenitatem ita exprobrante: non admiserim virum, qui virum ipse quaerat: docent vero etiam, et multo magis, et paene plus quam satis est, antecedentia; quod enim is, qui p. 154 Timarchum deprehendit *ἐν γόνασι κείμενον* pueri, aliud vidit *ἔργον*, quam fellantis? quid aliud prodit angina p. 162 in Aegypto contracta, ubi parum abfuisse rumor ajebat,

---

roniano, quem Nonius (p. 523 Gothofredi, collato tamen Josephi Scaligeri adnotamento ad Priapeium LXXVIII.) servavit, *depsistis, dicite Labdae*, neque lectio est indubia, neque sententia satis dilucida, versiculum autem Ausonii, epigrammate 120. *cui ipse linguam cum dedit suam, Labda est*, plane alienum esse, infra aperiemus.

quin a nauta suffocaretur, ὃς ἐμπεσὼν ἀπέφραξε τὸ ϛόμα? quid aliud Cyclopis cognomen, ex eo ductum, quod ebrium jacentem adolescens, ὀρθὸν ἔχων τὸν μοχλὸν εὖ μάλα ἠκονημένον, velut alter Ulysses invasisset, terebraturus buccam hiantis (σὺ δὲ ὁ Κύκλωψ ἀναπετάσας τὸ ϛόμα, καὶ ὡς ἔνι πλατύτατον κεχηνὼς ἠνείχε τυφλέμενος ὑπ' αὐτε τὴν γνάθον)? ut ne addam fugam osculorum p. 156, actionemque a lingua institutam p. 158, quae dubites forsan fellatorem pungant an cunnilingum. Sed nec irrumare homine alienum fuisse, indicare videtur illud p. 148. ἐχὶ σὺ τοιἕτος; cum enim ante dixisset εἴ τις ἴδοι κίναιδον καὶ ἀπόῤῥητα ποιεντα καὶ πάσχοντα, in vitiis Timarchi patet etiam numerari ἀπόῤῥητα ποιεῖν. Poterat igitur Lucianus recte dicere Timarchum et λεσβιάζειν et φοινικίζειν, si alteri voci subjiciebat vim fellandi, alteri irrumandi; utri autem subjecerit fellandi vim, utri irrumandi, nihilo minus est obscurum. Quid? quod ne id quidem extra omnem dubitationis aleam positum est, voluisse Lucianum λεσβιάζειν et φοινικίζειν ita distinguere, ut alterum esset fellare, alterum irrumare. Nam φοινικίζειν poterat etiam dicere cunnilingum, g quam verbo significa-

g. Haud scio an Rododaphnes cognomine a Syris isti indito p. 161. tecte sugilletur cunnilingus,

tionem infra vindicatum imus, nec sane necesse erat, exempla adjungere earum, quae cunnos lingi passae fuissent.

Maxime autem memorabilis est locus Galeni libro decimo de vi simplicium, quo λεσβιάζειν a φοινικίζειν sic disjungit, ut alterum altero turpius esse doceat: καὶ μεῖζόν γε ὄνειδός ἐστιν ἀνθρώπῳ σωφρονοῦντι, κοπροφάγον ἀκούειν, ἢ αἰσχρουργὸν ἢ κίναιδον, ἀλλὰ καὶ τῶν αἰσχρουργῶν μᾶλλον βδελυττόμεθα τοὺς φοινικίζοντας τῶν λεσβιαζόντων, ᾧ φαίνεταί μοι παραπλήσιόν τι πάσχειν ὁ καὶ καταμηνίου πίνων.[h] Vult, qui sordibus humanis pro medicamine uta-

ita quidem, ut in rosa lateat cunnus, in lauri folio lingua lingens. Certe causa obscenior visa est Luciano, quam ut enarraret: ἐν Συρίᾳ μὲν ῥοδοδάφνη κληθεὶς, ἐφ' ᾧ δὲ αἰσχύνομαι διηγεῖσθαι.

h. Quo planius intelligas sententiam Galeni, antecedentia haec sunt: πόσις δ' ἱδρῶτός τε καὶ οὔρου καὶ καταμηνίου γυναικὸς ἀσελγῆ καὶ βδελυρά, καὶ τούτων οὐδὲν ἧττον ἡ κόπρος, ἣν καταχριομένην τε τοῖς κατὰ τὸ στόμα καὶ τὴν φάρυγγα μορίοις, εἴς τε τὴν γαστέρα καταπινομένην ἔγραψεν ὁ Ξενοκράτης, ὅ τι ποτὲ ποιεῖν δύναται. γέγραφε δὲ καὶ περὶ τοῦ κατὰ τὰ ὦτα ῥύπου καταπινομένου. ἐγὼ μὲν οὖν οὐδὲ τοῦτον ἂν ὑπέμεινα καταπιεῖν, ἐφ' ᾧ γε μηδέ ποτε νοσῆσαι. πολὺ δ' αὐτοῦ βδελυρώτερον ἡγοῦμαι τὴν κόπρον εἶναι. καὶ μεῖζόν γε κ. τ. λ. Ceterum pro ᾧ φαίνεται legendum videtur ὧν φαίνεται, quae est elegans conjectura Rostii Gothani, viri doctissimi.

tur, pejus eum audire vel turpi aut cinaedo, et de turpibus quidem detestabiliores haberi φοινικίζοντας, quam λεσβιάζοντας. Idcirco dubitare non poteris, quin φοινικίζειν dixerit fellatores, λεσβιάζειν irrumatores. Nam cum detestabiliores iudicaret eos esse, qui propius accederent ad κοπροφάγυς, utique non poterat non magis detestari eos, qui fellando os suum inquinarent, quam qui irrumando alienum: debebat etiam pariter abominari cunnilingos, καταμήνια πίνοντας, de quibus infra.

Sed imitatores etiam exstiterunt moris Lesbiorum. Eo nomine male a veteribus audiebant Nolani: unde Ausonio epigrammate 71 Crispa fellatrix eam dicitur libidinem exercere, *quam Nolanis capitalis luxus inussit.* Ecce autem totum epigramma festivum:

Praeter legitimi genitalia foedera coetus
Reperit obscenas Veneres vitiosa libido,
Herculis haeredis quam Lemnia suasit egestas,
Quam toga facundi scenis agitavit Afrani,
Et quam Nolanis capitalis luxus inussit.
Crispa tamen cunctas exercet corpore in uno:
Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

Quid ergo? nempe non voluit inexpertum relinquere Crispa futui; haec sunt foedera legiti-

mi coitus: neque paedicari; haec est libido Philoctetis, Herculearum sagittarum haeredis, atque Afranii, de quo Quintilianus Instit. orat. X, 1. pagina 913 Burmanniana, *togatis*, inquit, *excellit Afranius, utinamque non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus:* neque irrumari; hic est capitalis luxus Nolanis inustus. Brevius et apertius omnia comprehenduntur proximo versiculo a postremo ita, ut *deglubit* sit genus, *fellat*, *molitur per utramque cavernam* tres species.

Fuerunt, qui et celebre illud aenigma Coelii apud Quintilianum Inst. orat. VIII, 6. p. 747. *quadrantariam Clytaemnestram, in triclinio coam, in cubiculo nolam*, huc trahendum putarent, ut Nola esset, quae Nolanorum more fellaret. At magis placet interpretatio Alciati, statuentis, Clodiam, famosam istam Clodii sororem, Metelli uxorem, coam dici, quod voluerit in triclinio coire, nolam, quod noluerit in cubiculo. Nam quod miratur Spaldingius infrequentem quadrantariae injuriam, ut eadem sit nola, vereor, ne nodus quaeratur in scirpo. Quidni dicamus, Clodiam Messalinae instar facilitate adulterorum in fastidium versam ad incognitas libidines profluxisse,[i] ita ut nollet in tenebris sumi,

i. Taciti verba sunt Annal. XI, 26.

vellet autem non modo admissa luce, quemadmodum Martialis, ipso fatente XI, 105.

Tu tenebris gaudes, me ludere teste lucerna
Et juvat admissa rumpere luce latus.

sed admissis etiam testibus viventibus, spectatum nisi jacentem, certe euntem aut redeuntem? An dubitas usque eo licentiam pervenisse? Quid aliud ausus est Augustus, cui Marcus Antonius, Suetonio teste in Augusto cap. 69., *objecit, et feminam consularem e triclinio viri coram in cubiculum abductam, rursus in convivium rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam?* quid aliud Caligula, quem idem Suetonius in Caligula cap. 25. tradit, *adhibitum coenae nuptiali, mandasse ad Pisonem contra accumbentem, noli uxorem meam premere, statimque e convivio abduxisse eam secum?* et qui, eodem auctore cap. 36., illustriores feminas *cum maritis ad coenam vocatas praeterque pedes suos transeuntes diligenter ac lente mercantium more considerabat, etiam faciem manu allevans, si quae pudore submitterent: quoties deinde libuisset egressus triclinio, cum maxime placitam sevocasset, paulo post recentibus adhuc lasciviae notis reversus vel laudabat palam, vel vituperabat, singula enumerans bona malave corporis atque concubitus?* quid aliud illa, de qua Horatius Odarum III, 6, 25—32.

Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis;
Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emtor?

quid aliud quinquaginta meretrices in convivio illo Alexandri VI pontificis Romani, quo animum tuum ad Hermaphroditum pavimus? Satisne est coarum in triclinio? Hoc igitur schemate coire gestiebat Clodia, sola cum solo in cubiculo sine testibus in proximo triclinio nolebat: unde per jocum coa et nola. Poterat Coelius aliquanto planius dicere in triclinio volam, extra triclinium nolam.

Neque vero Nolani tantum, sed omnino * Osci Lesbiorum libidini traduntur deditissimi fuisse, ita ut quidam obscenum dictum vellent ab Oscis, qui antea Opsci vel Opici. Festus p. 553. *in omnibus fere antiquis commentariis scribitur Opicum pro Osco, a quo etiam verba impudentia et elata appellantur*

* Nola enim oppidum Campaniae, quae pars Oscorum. Quare fuerunt, qui et Campanum morbum Horatii Sat. I, 5, 62. ad libidinem referrent, sed minus apte ad causam.

obscena, quia frequentissimus fuit usus Oscis libidinum spurcarum.

Variant veteres in re spurca oblique significanda. Ac pro *irrumare* quidem dixerunt *offendere buccam*,[l] *corrumpere buccas*,[m] *illudere capitibus*,[n] *insultare capitibus*,[o] *non*

---

l. Varro in Marcipore, Nonio teste p. 687. *dein mittit virile veretrum in frumen* (gulam), *offendit buccam Volumni.*

m. Martialis III, 75. *coepisti puras opibus corrumpere buccas.* Simile illud II, 28. *calda Vetustillae nec tibi bucca placet.*

n. Suetonius in Tiberio cap. 45. *feminarum quoque et quidem illustrium capitibus quantopere solitus sit illudere, evidentissime apparuit Malloniae cujusdam exitu, quam perductam, nec quidquam amplius pati constantissime recusantem delatoribus objecit, ac ne ream quidem interpellare desiit, ecquid poeniteret, donec ea relicto judicio domum se abripuit ferroque transegit, obscenitate oris hirsuto atque olido seni clare exprobrata.*

o. Suetonius in Caesare cap. 22. *quo gaudio* (Gallia comata accepta) *elatus non temperavit, quin paucos post dies frequenti curia jactaret, invitis et gementibus adversariis adeptum se quae concupisset, proinde ex eo insultaturum omnium capitibus, ac negante quodam per contumeliam, facile hoc ulli feminae fore, responderit quasi alludens, in Assyria quoque regnasse Semiramin, magnamque Asiae partem Amazonas tenuisse quondam.* Nempe quod probo sensu pro irridere dixerat Caesar insultare capitibus, id ad improbum sensum detorsit adversarius, tacta simul infamia Bithynica.

parcere capiti," os percidere," summa petere."

p. Lactantius Institut. div. VI, 23. *de istis loquor, quorum teterrima libido et execrabilis furor ne capiti quidem parcit.* Simile illud Juvenalis VI, 299. 300. *quid enim Venus ebria curat? inguinis et capitis quae sint discrimina nescit.*

q. Martialis II, 72.

Hesterna factum narratur, Posthume, coena,
Quod nollem: quis enim talia facta probet?
Os tibi percisum.

Ludens in simili sono vocum *rumor* et *irrumari* addit: *auctorem criminis hujus Caecilium tota rumor in urbe sonat.* Sic III, 73. *sed rumor negat esse te cinaedum;* III, 80. *rumor ait, linguae te esse malae;* et III, 87.

Narrat te rumor, Chione, nunquam esse fututam,
Atque nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris.
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

Percidere simpliciter est paedicare: videsis Mart. IV, 48. VII, 61. IX, 48. XI, 29. XII, 35. Priap. XII et XIV. Quod in his locis nonnulli libri dant praecidere pro percidere, mihi quidem plane intolerandum videtur.

r. Martialis XI, 47.

Quid miseros frustra cunnos culosque lacessis?
Summa petas: illic mentula vivit anus.

Priap. LXXV.

Per medios ibit pueros mediasque puellas
Mentula, barbatis non nisi summa petet.

altiora tangere,[t] *comprimere linguam*,[u] μίγνυσθαι τὴν ἄῤῥητον μίξιν.[v] pro *fellare* autem *ore morigerari*,[v] *ore adlaborare*,[x] *lambere medios viros*,[y] *lingere*,[z] *tacere*.[a]

---

s. Prip. XXVII.

Paedicabere fascino pedali.
Quodsi tam gravis et molesta poena
Non profecerit, altiora tangam.

t. Plautus in Amphitryone I, 1, 192. *ego tibi istam hodie scelestam comprimam linguam*. Comprimere igitur dixerunt irrumantem, quasi futuentem, quemadmodum percidere, quasi paedicantem.

u. Plutarchus in Vita Caesaris p. 723 tomi I. Operum: λέγεται δὲ (Καίσαρ) τῇ προτέρᾳ νυκτὶ, τῆς διαβάσεως (τῦ Ῥυβίκωνος) ὄναρ ἰδεῖν ἔκθεσμον· ἐδόκει γὰρ αὐτὸς τῇ ἑαυτῦ μητρὶ μίγνυσθαι τὴν ἄῤῥητον μίξιν. Quo pertinet glossa Hesychii: ἀῤῥητυργία· αἰσχρυργία, κακυργία, τὸ ἄῤῥητα ἐξεργάζεσθαι.

v. Suetonius in Tiberio cap. 44. *Parrhasii tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione, ut si argumento offenderetur, decies pro ea sestertium acciperet, non modo praetulit, sed et in cubiculo dedicavit.*

x. Horatius Epodo VIII, 17—20.

Illiterati num minus nervi rigent,
Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
Ore adlaborandum est tibi.

y. Martialis II, 61.

Cum tibi vernarent dubia lanugine malae,
Lambebat medios improba lingua viros.

Uti Persius sibi sumsit cevere ponere pro

Idem III, 81.

Quid cum femineo tibi, Baetice Galle, barathro?
Haec debet medios lambere lingua viros.

Ausonius epigrammate 120.

Lambere cum vellet mediorum membra virorum
Castor, nec posset vulgus habere domi,
Repperit, ut nullum fellator perderet inguen:
Uxoris coepit lingere membra suae.

Factus igitur Castor ex fellatore cunnilingus.

z. Martialis III, 88.

Sunt gemini fratres, diversa sed inguina lingunt.
Dicite, dissimiles sint magis, an similes.

Ergo alter erat fellator, alter cunnilingus. Idem VII, 54.

Lingas non mihi, nam proba et pusilla est,
Sed quae de Solymis venit perustis,
Damnatam modo mentulam tributi.

Nescio unde Scioppius ad Priapeium X rescriverit, pulchre pensilibus peculiatum fuisse Martialem, qui hoc loco mentulam pusillam aperte profiteatur. Jubet autem Chrestum per contumeliam lingere pro sua mentulam servi ex gente Judaea, ad tributum duarum drachmarum Jovi Capitolino quotannis pendendarum nuper damnata, cujus quidem servi Judaei jam mentionem fecerat epigrammate 34 ejusdem libri: *meus servus Judaeum nulla sub cute pondus habet*, id est, penem habet circumcisum, glande aperta nec sub cute latente, uno verbo recutitum: nam sic intelligenda puto *recutitorum inguina Judaeorum* apud Martialem VII, 29. ut

adulari, ita Catullus irrumare pro contumelio-

---

sint inguina, a quorum glande cutis recessit, quemadmodum *recinctus*, *regelatus*, *reseratus* et plura alia usurpantur significatione simplici contraria, nec poterit aliquid dubitationis id tibi afferre, quod *recutita colla mulae* IX, 58. manifesto sint colla nova cute vestita, cum similis significationum differentia et alibi reperiatur, ut in *revincire*. Non possum mihi persuadere, ut iis assentiar, qui recutitos dictos volunt a cute circumcisis recens nata; cum recutitum esse in causis ponerent detestandi, uti Petronius c. 68. *duo tamen vitia habet, quae si non haberet, esset omnium numerorum: recutitus est et stertit.* Enimvero quis crediderit, fieri potuisse, ut detestabilior videretur glans sub cute refecta, quam sub cute nulla?

a. Qui irrumatur, non potest loqui, ore mentula patrante obstructo, ergo tacet. Martialis III, 96. in Gargilium cunnilingum, cui deprenso tertiam poenam minatur: *si te prendero, Gargili, tacebis.* Nam ut adulteros imberbes solebant mariti paedicare, ita barbatos irrumare. Inde est, quod Gallum II, 47. retia famosae monet fugere moechae, ne deprensus irrumetur a marito:

Confides natibus? non est paedico maritus.
Quae faciat, duo sunt: irrumat aut futuit.

inde vero etiam, quod ipse vult Thelesinam ducere II, 49.

Uxorem nolo Thelesinam ducere. Quare?
Moecha est. Sed pueris dat Thelesina. Volo.

inde quoque, quod ipsum fefellit adulter Pollae X, 40.

Semper cum mihi diceretur esse
Secreto mea Pollam cum cinaedo,
Irrupi, Lupe: non erat cinaedus.

se tractare. [a] Sic irrumatum semet ipsum dicit a Memmio XXVIII, 9. 10.

O Memmi, bene me ac diu supinum
Tota ista trabe lentus irrumasti.

eo quod in Bithynia praetoris istius, comites non pili facientis, unde X, 12. *irrumator praetor*, illiberalitatem et avaritiam expertus

---

Quippe pro puero, quem paedicaret, invenit praedurum aut exoletum, minus igitur idoneum, jactura natis expiare culpam: quanquam poterat etiam pro crudeliore aliorum more in podicem deprensi moechi aut mugilem farcire: Juvenal. X, 317. *quosdam moechos et mugilis intrat;* aut raphanum: Lucianus de morte Peregrini Operum tomo VII. p. 425. *ἐν Ἀρμενίᾳ μοιχεύων ἁλοὺς διέφυγε, ῥαφανίδι τὴν πυγὴν βεβυσμένος.* Catullus XV. *quem attractis pedibus patente porta percurrent raphanique mugilesque.* Paulo obscurius est illud Martialis IX, 5.

Aureolis futui cum possit Galla duobus,
Et plus quam futui, si totidem addideris:
Aureolos a te cur accipit, Aeschyle, denos?
Non fellat tanti Galla. quid ergo? tacet.

Non pudorem tanti vendit Galla, sed tacendi incommodum cum fellando conjunctum: erat enim garrulae, nec ipso Martiale in eo dissentiente IV, 81., res magna tacere. Huc etiam pertinet XII, 35. de quo post paulo.

b. Par ratio verbi *stuprum*. Festus p. 449. *Stuprum pro turpitudine antiquos dixisse apparet in Nelei carmine: foede stupreque castigor cotidie. Naevius: seseque ii perire mavolunt ibidem, quam cum stupro redire ad suos popularis.*

sit: atque XXXVII, 7. 8. contubernalibus, ad quos puella sua fugisset, minatur:

Non putatis ausurum
Me una ducentos irrumare sessores?

addito, ne dubitares, id se facturum ita, ut fronti tabernae inscriberet flagitia insulsorum:

Namque totius vobis
Frontem tabernae scipionibus scribam.

Cetera loca, quae solent afferri ex Catullo XXI, 12. LXXIV, 5. ad latiorem irrumandi usum confirmandum, mihi quidem aliena videntur.

Impudicum videntur specialiter dixisse eum, qui vel paedicari vel irrumari passus esset. Priap. LIX. *si fur veneris, impudicus ibis.* Cicero de oratore II, 257. *si tu et adversus et aversus impudicus es.* Horatius Epist. I, 16, 36. *idem si clamet furem, neget esse pudicum.* Lampridius de Commodo cap. 10. *etiam puer et gulosus et impudicus fuit,* collato capite 5. *nec irruentium in se juvenum carebat infamia;* et capite 1. *a prima statim pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinosus, ore quoque pollutus et constupratus fuit.* Alias pudica vocatur aut integra a viro: Priap. XXXI. *licebit ipsa sis pudicior Vesta;* aut unica gaudens marito, ut illa, cujus elogium scripsit Martialis X, 63.

Contigit et thalami mihi gloria rara, fuitque
Una pudicitiae mentula nota meae.

Exemplis et fellatorum et fellatricum jam occupatis in coenae pompa, quae reponere piget in secunda mensa, age adstruamus ex Aloisia III, 43—45. Chrysogonum, oris obsequium Semproniae lepide persuadentem: *Venit nudius tertius* (Octaviae verba sunt) *Chrysogonus ad matrem pomeridianis horis. Silebant et tuta erant omnia. Ut ludit, ut furit, hodie mane, inquit, novum didici voluptatis genus. E proceribus nostris quidam, nec poenitens facti, dixit, nihil foedius sibi, nihil impurius videri infima mulieris suae parte, qua mulier est, et mulierem duxit pulcherrimam, Stymphalidas in illa habitare sentina purulentas, in hac meram Venerem, meros Amores: ori dabat osculum Chrysogonus. Igitur specum fugit illam, et odit, quae exhalat mephitim, purum os amat et illecebrosum caput. Uni fidit, uni arrigit. Uxor illi tam est ingeniosa quam formosa, sed magis obsequens. Haec voluptatem agnoscit nullam, quae non sit mariti: bene sibi est, cum illi. Omnibus assentitur mariti libidinibus et paret. Ore praestat obsequium. Quid vero tu facies, Sempronia, si rogaverim? nam si negaveris, negabo et ipse promissi meminisse et fidei datae. Demum non te fugit, pulchrum venustae feminae corpus*

aliud esse nihil, quam vivum quendam, ut dicere solebat Socrates, libidinum thesaurum, ubi suas homines condant et quaerant voluptates, in quem libidinis suae calidos derivent fluctus. Utrum hoc puro, osculabatur, an illo scelesto, imam digito designabat alvum, id canali fiat, quid amabo interest, si officii habebis rationem. Persuasit cui jubendi jus erat, quod ipsa in se constituerat. Heus tu, inquit subridens, ut surgentem exceptura erat mentulam, quos et quali tibia modos facere me jubes in his ludis? Post mucronem spiculi primoribus capit labiis, lingua involvit, novas subeunti sedes delicias mentulae facit novas. Praesensit illa adfluentes gari Venerei impetu rivos. Exhorruit refugitque. Non vis puto intingi me tanto flagitio, dicebat mater. Liquidum ego bibam hominem? Dixerat, et vestes deciduus imber multa corrupit copia. Ille subirasci; ausa es, inquit, insana, tam egregium opus perdere. Ignosce, inquit illa, habebis obsequentiorem. Stetit promissis, et liquidos bibit homines. Salsam rem! nam salsa seminis vis.

Ore morigerabatur Mancia Marino, narrante Eleonora apud Aloisiam III, 46. *Nupsit Mancia, cognata mea, Marino Neapolitano. Sulphureis stygiisque nequissimarum libidinum incendiis torretur Marino pectus. Fe-*

minam vecors quaerit in Mancia etiam supra papillas, qua incipit desinitve femina. Buccam petit, quasi in eam puellae fugerit cunnus, aut ipsa sibi bucca in quadam sit cum cunno societate ad participandos Veneris ludos. Objurgabam, quod hanc sibi sexuique fieri pateretur injuriam. Quid vis? respondit. Occupat Marinus oris aream libidinibus suis, nec queri possum: maritis hoc uno placemus nomine, quod feminae sumus: quae quacunque petetur se probabit feminam, haec omnium maxime placebit.

Eodem modo ipsam Eleonoram sumere tentavit Alphonsus, ibidem p. 47. *En, Octavia mea, Alphonsi furores, addebat Eleonora. Ante hos dies, postquam bis terve telum misit vere militans, ori et applicuit. Huic, ajo, ostio verberando, Alphonse, ista non est apta catapulta: furis, et me vis furere. Te furere velim, me nolim, reponit Alphonsus: nam quod me amas, furori tuo debeo. Nullum debeo marito meo, si furere incipio, honorem: quem tibi debeo, forte obliviscar, quae mori malim, quam tibi non vivere. His movit durum pectus: flexit ad ludibria. Adsilientem appetii libens semiulco suavio flammescentem nervum. Nihil ultra: nam eo mox sponte reversa est erudita mentula, unde aberrarat. Cotyttium fas nefasve*

in media perfecit regione, quod in hac superiori aggressa erat impudens.

Fuit etiam Gonsalvus Cordubensis hujus schematis amator. Aloisia III, 48. *Narrant Gonsalvum Cordubensem, imperatorem magnum, cum insenuisset, hoc voluptatis delectatum genere.*

Novum fellandi genus commentum est procax ingenium Tiberii. Suetonius in Tiberio cap. 44. *majore adhuc et turpiore infamia flagravit, vix ut referri audirive, nedum credi fas sit, quasi pueros primae teneritudinis, quos pisciculos vocabat, institueret, ut natanti sibi inter femina versarentur ac luderent, lingua morsuque sensim appetentes, atque etiam quasi infantes firmiores, necdum tamen lacte depulsos, inguini ceu papillae admoveret: pronior sane ad id genus libidinis, et natura, et aetate.* Imaginem ingeniosi hominis pisciculis appetiti cernere est tabula XVIII. *in Monumens de la vie pr. d. d. C.*

Proniores fere sunt ad irrumandi libidinem aetate provecti, quibus mentula desiit dicto audiens esse. Huc redeunt Martialea illa IV, 50. *nemo est senex ad irrumandum;* XI, 47. *summa petas: illic mentula vivit anus.* III, 75.

Stare, Luperce, tibi jam pridem mentula desit:
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Coepisti puras opibus corrumpere buccas;
Sic quoque non vivit solicitata Venus.

Quam ob causam irrumatores minus timendi sunt maritis. Ideo Martialis facilem se praebuit Lupo, Pollae suae irrumatori deprehenso X, 40, quem locum paulo ante laudavimus: nam ut irrumasse potius quam futuisse Lupum credamus, paronomasia adducimur, quae latet in *irrupi.* Nec Glycerae maritus, si quidem illi erat, metuere debebat, ne res suae agerentur a Luperco: Martialis XI, 41.

Formosam Glyceren amat Lupercus,
Et solus tenet, imperatque solus.
Quam toto sibi mense non fututam
Cum tristis quereretur, et roganti
Causam reddere vellet Aeliano,
Respondit, Glycerae dolere dentes.

Num vera sit Lepidini sententia in Hermaphrodito I, 13. qui semel irrumaverit, nunquam posse dediscere, judicium esto penes expertos. Aloisia quidem consentit: III, 42. *qui semel usi sunt perdite amant.*

A fellando os aqua elui, quis est, qui miretur? Eo pertinet illud Martialis II, 50.

Quod fellas, et aquam potas, nil, Lesbia, peccas.
Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

Inde et illustratur Priapeium XXX.

Vade per has vites, quarum si carpseris uvas,
Quas aliter sumas, hospes habebis aquas.

Vult Priapus: venisti ut aquam peteres ad bibendum; ubi autem uvas decerpseris, irrumabo te, quo facto aqua tibi opus erit magis ad os eluendum, quam ad sitim sedandam. Eodem spectat Martialeum de Chione III, 87. quod supra dedimus.

Quamvis improbius quiddam rogare sibi viderentur, qui os rogarent, quam qui aut cunnum aut culum: Martialis IX, 68.

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis illud puerile poposci:
Ante preces totas primaque verba dedit.
Improbius quiddam ridensque rubensque rogavi:
Pollicita est nulla luxuriosa mora.

---

c. Pro prima igitur coena dedit puella cunnum, pro secunda culum, pro tertia os. Sunt qui mammosam Spatalen ita largam fuisse putent: Martial. II, 52.

Novit loturas Dasius numerare: poposcit
Mammosam Spatalen pro tribus. Illa dedit.

Sed vereor, ne injuriam faciant bonae Spatalae. Nihil aliud enim Dasius balneator quam voluisse videtur, ut Spatale, quae nimia corporis obesitate ac pinguedine trium feminarum locum in

atque diligenter caverent, ne deprehenderentur: idem XI, 46.

Intrasti quoties inscriptae limina cellae,
Seu puer arrisit, sive puella tibi,
Contentus non es foribus veloque seraque,
Secretumque jubes grandius esse tibi.
Oblinitur minimae si qua est suspicio rimae,
Punctaque lasciva quae terebrantur acu.
Nemo est tam teneri, tam solicitique pudoris,
Qui vel paedicat, Canthare, vel futuit.

non erat tamen, ut puderet veteres Romanos irrumare, quod vel ex contumelioso illo verbi

---

solio impleret, pro tribus solveret. Omnibus modis larga fuit Phyllis: Martialis XII, 66. *formosa Phyllis nocte cum mihi tota se praestitisset omnibus modis largam.* Jam intelliges, quid Martiali sit *nihil negare:* XI, 50. *nil tibi, Phylli, nego; nil mihi, Phylli, nega.* Item IV, 12.

Nulli, Thai, negas, sed si te non pudet istud,
Hoc saltem pudeat, Thai, negare nihil.

Item XII, 72.

Nil non, Lygde, mihi negas roganti:
At quondam mihi, Lygde, nil negabas.

Simpliciter XII, 81. *quisquis nil negat, Atticilla, fellat.* Noluit autem nil negare Mallonia Tiberio: futui quidem et paedicari forsitan tulerat, sed ut fellaret non potuit misera fastidium vincere. Suetonianum locum nugis hisce nostris ante inseruimus. Quae nihil negat, Arnobio dicitur *nihil pati renuens, II, 42.* De ebria, quae nihil potest negare, Ovidius de arte amat. III, 766. *digna est concubitus quoslibet illa pati.*

usu Catulliano patet, sed pudebat fellare. Est enim aliquid virtutis in audentia, nihil in patientia, praesertim ejus, qui parti naturae humanae praestantissimae tam spurca ministeria imperat. Accedebat, quod foetorem oris a fellando contractum summo studio dissimulandum putabant, fugam vel convivarum vel basiatorum metuentes. Adeo enim fellatores convivis erant invisi, ut calices his propinare [d] devitarent, et forte propinatos frangerent. [e]

---

d. Martialis II, 15.

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humane facis, Herme, non superbe.

Idem VI, 44. *nemo propinabit, Calliodore, tibi.* Seneca de beneficiis II, 21. *Is* (Cajus Caesar) *cum ab amicis conferentibus ad impensam ludorum pecunias acciperet, magnam pecuniam a Fabio Persico missam non accepit. Et objurgantibus his, qui non aestimabant mittentes, sed missa, quod repudiasset, ego, inquit, ab eo beneficium accipiam, a quo propinationem accepturus non sim?* Fellatorem fuisse Fabium Persicum, non cunnilingum, inde apparet, quod quaestionem instituerat Seneca de eo, quid faciendum esset *captivo*, cui redemtionis pretium homo prostituti corporis et infamis ore promisisset.

e. Martialis XII, 75.

Hoc quoque non nihil est, quod propinabis in istis,
Frangendus fuerit si tibi, Flacce, calix.

Macedonius in Analectis Brunkii III, 115.

Ἐχθὲς μοι συνέπινε γυνὴ, περὶ ἧς λόγος ἔῤῥει
ὀυχ ὑγιής. παῖδες, θραύσατε τὰς κύλικας.

nec nisi inviti [f] occurrebant basiare minantibus. Hinc factum est, ut cinaedi mallent videri quam fellatores, [g] uti Phoebus apud Martialem III, 73.

Dormis cum pueris mutoniatis,
Et non stat tibi, Phoebe, quod stat illis.
Quid vis me, rogo, Phoebe, suspicari?
Mollem credere te virum volebam:
Sed rumor negat esse te cinaedum.

---

f. Martialis XI, 96.

Incideris quoties in basia fellatorum,
In solio puto te mergere, Flacce, caput.

Idem I, 95.

Cantasti male, dum fututa es, Aegle.
Jam cantas bene: basianda non es.

Idem I, 84.

Os et labra tibi lingit, Manneja, catellus:
Non miror, merdas si licet esse cani.

Seneca de beneficiis IV, 30. *quid nuper Fabium Persicum, cujus osculum etiam impuri vitabant, sacerdotem fecit?*

g. Ut improbos basiatores fuisse Romanos vel ex festivo illo epigrammate Martialis XI, 99. constat, ita non mirum fecerunt fellatores, si aegerrime caruerunt basiationibus. Horum spurcum caput alias quoque perstringit Bilbilitanus artifex, ut II, 42.

Zoile, quid solium subluto podice perdis?
Spurcius ut fiat, Zoile, merge caput.

Callistratus quoque apud eundem XII, 35.

Tamquam simpliciter mecum, Callistrate, vivas,
Dicere percisum te mihi saepe soles.
Non es tam simplex, quam vis, Callistrate, credi:
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

hinc, ut Charidemum pathicum haberi nolentem, et propter hanc causam et crura setosa et pectora villosa praeferentem, id juberet operam dare, ut videretur potius pathicus, quam fellator: VI, 56.

Quod tibi crura rigent setis, et pectora villis,
Verba putas famae te, Charideme, dare.
Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.
Quae ratio est? inquis. Scis multos dicere multa:
Fac paedicari te, Charideme, putent.

Fellare, ut par erat, emebatur, nec parvo interdum. Martialis XI, 67.

Item VI, 81.

Iratus tanquam populo, Charideme, lavaris,
Inguina sic toto subluis in solio.
Nec caput hic vellem sic te, Charideme, lavare.
Et caput ecce lavas: inguina malo laves.

Latent in versu ultimo aculei: unus in *tacet*, quod supra vidimus ut adjunctum dici de fellando; alter in *narrat*, probo linguae opere posito pro improbo, quemadmodum III, 84.

Quid narrat tua moecha? non puellam
Dixi, Tongilion. quid ergo? linguam.

Et delator es, et calumniator,
Et fraudator es, et negotiator,
Et fellator es, et lanista. Miror
Quare non habeas nummos.

Idem III, 75.

Stare, Luperce, tibi jam pridem mentula desit:
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Sed nihil erucae faciunt bulbique salaces,
Improba nec prosunt jam satureja tibi.
Coepisti puras opibus corrumpere buccas;
Sic quoque non vivit solicitata Venus.
Mirari satis hoc quisquam, vel credere possit,
Quae non stat, magno stare, Luperce, tibi.

Explicanti autem de fellando nefas videtur tacere corvum, quem fellatorem dixit perpetuus noster XIV, 74.

Corve salutator, [h] *quare fellator haberis?*
In caput intravit mentula nulla tuum.

id quod vulgi opinione corvus putabatur ore coire. Plinius Hist. nat. X, 12. *ore eos parere aut coire vulgus arbitratur. Aristoteles ne-*

---

h. Causam appellationis petas a Macrobio, Saturnal. II, 4. *Sublimis Actiaca victoria revertebatur* (Augustus;) *occurrit ei inter gratulantes corvum tenens, quem instituerat hoc dicere: ave Caesar, victor, imperator. Miratus Caesar officiosam avem, viginti millibus nummum emit.*

gat, sed illam exosculationem, quae saepe cernitur, qualem in columbis esse.

Negavit Erasmus, in Adagiis sub Lesbiari p. 409 exemplaris Francofurti 1670 editi, sua aetate adhuc exstare irrumandi libidinem: *λειχάζειν ni fallor tale quiddam est Graecis, quale fellare Latinis. Nam vox etiamnum manet, tametsi rem jam olim e medio sublatam arbitror.* Vereor ut vere: certe audio, ne ab nunc hominum quidem moribus plane abhorrere id schematis, quod viderint ii, quibus magnas urbes adire licet. Imaginem fellantis praebet tabula XXI *in Monumens de la vie p. d. d. C.* quanquam venusta illa tabula magis ad spintriacum genus, de quo infra, quam ad hoc nostrum pertinet.

Caput IV.

DE MASTURBANDO.

Masturbare dicitur qui manu perfricando mentulam semen elicit, voce ex *manu stuprare* corrupta. Ac fieri id potest aut propria manu, aut aliena. Cum fit propria manu, lae-

va fere solet adhiberi. Hinc *pellex laeva* apud Martialem IX, 42.

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice laeva
Uteris, et Veneri servit amica manus,
Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres;
Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus uterque
Mandasset manibus gaudia foeda suis.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum:
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Eo spectat illud quoque ejusdem XI, 74.

Venturum juras semper mihi, Lygde, roganti,
Constituisque horam, constituisque locum.
Cum frustra jacui longa prurigine tentus,
Succurrit pro te saepe sinistra manus.

et Ramusianum sextum pagina 62 Parisiensi:

Quid facias? numquid laeva est tibi sana valensque?
Utare hac, alia pellice non opus est.
Non eme, quod possit gratis tibi laeva parare.

Sed fuerunt etiam, qui dextra uterentur. Idem Ramusius Ariminensis carmine quarto pag. 61.

Usque adeo, Donate, premor tentigine, quod, ni
Auxilium praestes, mentula nostra cadit.

Nec possum dextra, laesa est, mihi ferre salutem,
Nec mihi sunt nummi, nec mihi pulcer Hylas.
Cunnus abest nobis, futuendi copia nulla;
Ut vivam, Venerem solve, quod asse potes.

Pacificus Maximus elegia XII. pagina Parisiensi 126.

Sed jam quid faciam? sera tentigine rumpor,
Impleremque utres terque quaterque graves,
Jamque diu nullum novit mea mentula cunnum,
Effoditque maris viscera nulla diu.
Illa die tenta est, tenta est et nocte, nec unquam
Decidit, arrectum est nocte dieque caput.
Non puer haec audit, non audit verba puella,
Nemo venit: solitum dextra frequentet opus.

Modo vidimus, quam severe castigaverit Martialis Ponticum masturbatorem, eo quod digitis hominem perderet: neque tamen ipse castigator dubitavit, manu officiosa uti, cum tentigine rumpebatur: II, 43. *at mihi succurrit pro Ganymede manus*, et XI, 74. *succurrit pro te* saepe *sinistra manus*; neque in mentem venit severitatis plorare jubenti Telesphorum cinaedum XI, 59.

Cum me velle vides, tentumque, Telesphore, sentis,
Magna rogas: puta me velle negare nihil? i

i. Simili interrogatione per verbum infinitum et *puta* pro *scilicet* usus est III, 26. *hoc me puta*

Et nisi juratus dixi, dabo, subtrahis illas,
Permittunt in me quae tibi multa, nates.
Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est,
Tunc libertatem divitiasque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat: res est imperiosa timor.
Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,
Frangam tonsori crura manusque simul.
At tibi nil faciam, sed lota mentula laeva
αἰάζειν cupidae dicet avaritiae. [k]

neque ab uxore in puero deprenso, XI, 44. quod epigramma non illepidum supra proposuimus; neque Thelesinam volenti, II, 49. *pueris dat Thelesina: volo.* neque edicenti nescio cui XI, 23. utatur culo Galesi ut parte sua:

Divisit natura mares; pars una puellis,
Una viris genita est: utere parte tua.

---

velle negare? Nihil opus videtur iis, quae in utroque loco moliuntur viri eruditi.

k. Vult: succurret laeva mentulae laboranti, et ubi perfecto opere manus uda fuerit reddita seminis effluvio, uti pecten, siquidem pecten, Ravolae apud Juvenalem IX, 4. *Ravola dum Rhodopes uda terit inguina barbâ,* valeat cinaedus avarus, abeatque tristi vultu Horatiani illius, qui invenit nil sibi legatum praeter plorare suisque, Sat. II, 5, 69. Ceterum lota laeva in memoriam revocamur moechae Juvenalis XI, 186. *humida* suspectis referentis multicia rugis.

an istud quod culo perdit paedico minus homo est, quam quod digitis mastarbator?

Cum mentulae sit vel adspectu surgere feminae pulchrae nudae, imperiose tum saepe jubet succurri tentigo: nam[l] οὐδὲν μέγα φρονεῖ ἐςυκὼς ἀνήρ. Hoc est, quod, onerosis palliis amicae jactatis,

Abditus interea latet accersitus adulter,
Impatiensque morae silet, et praeputia ducit, [m]

---

l. Suidas sub ἐςυκώς, ex Aelio Dionysio, ut videtur.

m. Non libidinis, sed decoris causa, praeputia adducebantur ab iis, qui, cum a Judaeis ad ceteras gentes defecissent, indigne ferentes et verpi videri et curti audire, operam dabant, ut glandem nudam tegerent. 1. Macc. 1, 15. Καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυςίας. 1. Cor. 7, 18. περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω. Celsus de medicina VII, 25. *si glans nuda est, vultque aliquis eam decoris causa tegere, fieri potest, sed expeditius in puero, quam in viro, in eo, cui id naturale est, quam in eo, qui quarundam gentium more circumcisus est.* Exposita curatione eorum, quibus id naturale est, pergit: *at in eo, qui circumcisus est, sub circulo glandis scalpello diducenda cutis ab interiore cole est. Non ita dolet, quia summo soluto diduci deorsum usque ad pubem manu potest, neque ideo sanguis profluit. Resoluta autem cutis rursus extenditur ultra glandem, tum multa frigida aqua fovetur, emplastroque circumdatur, quod valenter inflammationem reprimat. Ubi jam sine inflammatione est, deligari debet a pu-*

apud Juvenalem VI, 236. 37. hoc quod

Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
Hectoreo quoties sederat uxor equo,

apud Martialem XI, 105. hoc quod Gaditanarum puellarum saltatione, haud dubie non multum diversa ab ea, qua ad hodiernum usque diem Hispanos mirifice delectari constat, vel pannuceas senum verpas saepe legimus moveri: Martialis VI, 71.

Edere lascivos ad Baetica crusmata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis,

---

be usque circulum, super glandem autem adverso emplastro imposito induci. Sic enim fit, ut inferior pars glutinetur, superior ita sanescat, ne inhaereat. Ex quo loco intelligitur, Celsi aetate nondum incessisse morem denudandi caput penis, פריעת הראש dictum, qui post invaluit apud Judaeos, ita quidem, ut, Buxtorfio auctore in Lexico Talmudico, post praeputium abscissum remanens cutis per ungues pollicis acuminatos a circumcidente retrorsum traheretur. Nam si invaluisset, non opus erat praecepto de cute scalpello diducenda ab interiore cole. Fuit cum conjiciebam, dici Judaeos recutitos a cute penis isto modo, sine quo circumcisio consummata non putatur, retracta: sed vetor Celso.

n. Jul. Caesar Scaliger Poëtices libro primo p. 64. *ex foedis* (saltationibus) *erat* δίκνωμα, *nam* δικνῦσθαι *est lumbis et femoribus fluctuare. Crissare Latini dicunt. Apud Hispanos adhuc exercetur abominando spectaculo.*

Tendere quae tremulum Pelian, Hecubaeque maritum
Posset ad Hectoreos solicitare rogos.

Juvenalis XI, 162—165.

Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuque probatae
Ad terram tremulo descendant clune puellae,
Irritamentum Veneris languentis.

ut mittamus alia, quae prima jam tulit coena pag. 44.

Neque vero adspectu tantum feminae pulchrae nudae mentula solet excitari, verum so-

---

o. Hoc age, lector, ne te praetereat forte saltationis Gaditanae ratio. Tremulo clune ad terram descendere puellae, ad extremum supinae jacere, libidini paratae. Ab hoc igitur saltandi genere diversa erat *βίβασις* Laconica, qua ita subsultare solebant, ut nates pedibus ferirent. Aristophanes in Lysistrata v. 82. *γυμνάδδομαί γε καὶ ποτὶ πυγὰν ἅλλομαι.* Pollux IV. cap. 14. *καὶ βίβασις δέ τι ἦν εἶδος Λακωνικῆς ὀρχήσεως, ἧς καὶ τὰ ἆθλα προὐτίθετο, οὐ τοῖς παισὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ταῖς κόραις. ἔδει δὲ ἅλλεσθαι καὶ ψαύειν τοῖς ποσὶ πρὸς τὰς πυγὰς, καὶ ἀνηριθμεῖτο τὰ πηδήματα. ὅθεν ἐπὶ μιᾶς ἦν καὶ ἐπίγραμμα· χίλια πόκα βιβᾶντι.* Artificiosius etiam saltationis genus *ἐκλάκτισμα*, quo calce oportebat humerum contingere. Pollux ibidem: *τὰ δὲ ἐκλακτίσματα γυναικῶν ἦν ὀρχήματα, ἔδει δὲ ὑπὲρ τὸν ὦμον ἐκλακτίσαι.* Nec recentioribus id genus inauditum: J. C. Scaliger Poëtices libro I. p. 65. *nunc quoque Hispani calce occiput aliasque contingunt partes.*

lae etiam mentis imagines; praesertim nocturnae, quis nescit? eam vim habent, ut seminis fiat jucunda profusio. Ipse Priapus ita resolvi passus est: Priap. XLVIII.

Quod partem madidam mei videtis,
Per quam significor Priapus esse,
Non ros est, mihi crede, nec pruina,
Sed quod sponte sua solet remitti,
Cum mens est pathicae memor puellae.

Famam quandam masturbando consecutus est Diogenes Cynicus, quem publicitus tradunt pudenda perfricantem dixisse: utinam pariter ventrem perfricare possem latrantem![p]

At cum aliena manu masturbatur, id fieri potest non solum ut delectetur qui patitur, sed et qui facit.

Ac digitis quidem uti pertinet ad artem meretriciam, ut languens fascinum provocetur. Potest autem fascinum languere propter

p. Diogenes Laertius VI, 2, 46. ἐπ' ἀγορᾶς ποτε χειρουργῶν, εἴθε, ἔφη, καὶ τὴν κοιλίαν ἦν παρατρίψαντα μὴ πεινᾶν. Plutarchus de Stoicorum repugnantiis p. 1044 tomi secundi Operum: (Χρύσιππος) ἐπαινεῖ τὸν Διογένην τὸ αἰδοῖον ἀποτριβόμενον ἐν φανερῷ καὶ λέγοντα πρὸς τοὺς παρόντας, εἴθε καὶ τὸν λιμὸν οὕτως ἀποτρίψασθαι τῆς γαστρὸς ἠδυνάμην.

ingravescentem aetatem aut feminae: Martialis VI, 23.

Stare jubes nostrum semper tibi, Lesbia, penem.
Crede mihi, non est mentula quod digitus.
Tu licet et manibus, blandis et vocibus instes,
Contra te facies imperiosa tua est.

idem XI, 30.

Languida cum vetula tractare virilia dextra
Coepisti, jugulor pollice, Phylli, tuo.

aut viri: Martialis XI, 47.

Jam nisi per somnum non arrigis, et tibi, Maevi,
Incipit et medios meiere verpa pedes.
Truditur et digitis pannucea mentula lassis,
Nec levat exstinctum solicitata caput. r

---

q. Vide quantum diligentiae praestiterint egregia priscorum ingenia naturae perscrutandae! quam ingenue sensa mentis exprimenda duxerint! Quotusquisque est, qui hunc versum ponere ausus non veritus hodie fuisset, ne communi usui tribueret, quod suae forsan mentulae soloecismus esset?

r. Similiter in Bassi, rumpere latus in comatis soliti, languidius ad torum reversa mentula excitanda laborabant digiti uxoris: Martialis XII, 99.

Rumpis, Basse, latus, sed in comatis,
Uxoris tibi dote quos parasti.
Et sic ad dominam reversa languet

Aristophanes in Vespis v. 735 — 38.

Καὶ μὴν θρέψω γ' αὐτὸν, παρέχων
ὅσα, πρεσβύτῃ ξύμφορα· —.
πόρνην, ἥτις τὸ πέος τρίψει
καὶ τὴν ὀσφύν.

ibidem v. 1334. 35.

Σαπρὸν τὸ σχοινίον,
ὅμως γε μέντοι τριβόμενον οὐκ ἄχθεται.

Sed placet etiam iis, qui sunt integrā aetate, puellisque adhuc vivunt idonei, habere amicas, quarum manus in lecto non jaceant inertes, et inveniant digiti, quod agant in partibus illis, in quibus occulte spicula figit Amor. Id officii sibi non praestari questus est Martialis ab invida uxoris gravitate XI, 105.

Nec motu dignaris opus, nec voce juvare,
Nec digitis, tanquam thura merumque pares. *

Praestitit autem Penelope Ulyssi: Martialis eodem epigrammate:

Multis mentula millibus redemta,
Sed nec vocibus excitata blandis,
Molli pollice nec rogata surgit.

*. Eandem lumborum duritiem feminae istae Aristophaneae, versu 227 Lysistratae, viris maligne minantur: *κακῶς παρέξω, κοὐχὶ προσκινήσομαι.*

Et, quamvis, Ithaco stertente, pudica, solebat
Illic Penelope semper habere manum.

Praestitit etiam, etsi frustra, Nasoni amica infelici ista nocte, qua ea pars, quam pessimam dicit sui, velut praemortua inimico numine jacuit, et puella, ne suae possent intactam scire ministrae, dedecus hoc sumta dissimulavit aqua, Amor. III, 7, 73. 74.

Hanc etiam non est mea dedignata puella
Molliter admota solicitare manu.

Et Juvenali vis digitorum in Venere ob oculos versabatur VI, 195. 96. *quod enim non excitat inguen vox blanda et nequam? digitos habet.* Nec ea res incognita erat auctori Priapeji LXXX.

At non longa satis, non stat bene mentula crassa,
Et quam si tractes, crescere posse putes.

nec Jano Dusae, de quo ad hoc ipsum Priapeium Scioppius, qui est nasus hominis: *Dusa ad Petronium* domi doctus *docet nos rem istam crescere et grandire, si tractatrix accedat.* Inde intelliges, quid sit, quod tantopere, ut etiamnum Turcis, ita veteribus et tractatores commendaverit et tractatrices, quibus articulos non sine arte malacissandos, digitos leniter et per vices premendos et ducendos, omnia deinceps membra teneris mani-

bus, quippe manicarum usu a sole defensis, demulcenda porrigerent. Seneca Epistola 66. *an potius optem, ut malacissandos articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro versus, digitulos meos ducat? quidni ego feliciorem putem Mucium, qui sic tractavit ignem, quasi illam manum tractatori praestitisset?* Martialis III, 82.

Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manumque doctam spargit omnibus *membris.* t)

Joannes Sarisberiensis in Policratico libro III. cap. 13. ex vetere aliquo scriptore, Clearcho forsan, Lipsio judice: *cum lascivientis divitis luxus libidini vota sua praecingit, recumbentis pedes calamistratus comatulus excipit, et in aliorum conspectu pedes, et ne plus dicam, teneris manibus tibias tractat. Chirothecatus enim incessit diutius, ut manus soli subtractas emolliret, ad divitis usum. Deinde licentia paulum procedente totum corpus impudico tactu oberrans pruriginem scalpit, quam fecit, et ignes Veneris languentibus inflammat.*

---

t. Nec minus doctam sparsit manum callidus ille aliptes apud Juvenalem VI, 421. 22. qui *cristae digitos impressit, ac summum dominae femur exclamare coëgit.*

Huc referre etiam juvat, nescio quo aptius, id schema coëundi, si quis alius, sed artis doctae, feminae officiosa manu utitur ad testiculos molliter comprimendos natesque blande mulcendas, quo schemate nihil suavius, nihil dulcius esse perhibent. Hujusmodi coitum Octaviae cum Roberto juvante Manilia peractum mira ubertate, varietate, copia dicendi pinxit inexhaustum Aloisiae ingenium III, 113—116. Octaviam ipsam loquentem ponens: *dein duxit Manilia ad pugilatum, veste exuit, nudam collocat in lecto. Insilit Robertus. En mihi, inquit amplexans, summum bonum, omne bonum! hoc ego tuo vectus curru, Octavia, ibo tenebricosum istud per iter (pubem vellicabat), ibo ad gloriam. Uterum, femina, pectus pererrabat inspectans curiose. Demum inturhuit puero nervus. Fave, inquit, fave, Venus mea! Suavium dedit. Favebo, inquam: qualem me cupies, talem habebis. O nugacem, clamat advolans Manilia: facto opus est, non dicto. Volo utrique praestare operam, et ope mea voluptati vestrae accrescere delicias novas. Belle arrigis, Roberte: agedum, candidum hoc in Octaviae pectus libidines et te effunde. Dicente Manilia supervolat Robertus: ballista ferit uterum, at exerrantem et resilientem intercipit caudam Manilia, officiosam insinuans manum. Veni fugitiva tuum*

id in ergastulum Dionaeum; huc te vocant, dicebat, quas dominae debes operae. Post impacta in pueri lumbos manu impellit: momento vero paetum, absorbeo surgentem. Vetat commoveri me Manilia. Tolle id femur laevum; Octavia, inquit, contende alterum. Fit. Tu, Roberte, leni et spissa concute amores tuos subagitatione. At tu, Octavia, osculare, nec move. Fit. Cum sentietis alter et alter, adjicit, e libidinis vena exsilire vobis prurientes salaciae spumas, tu, Octavia, mitte suspirium; tu, Roberte, morsiunculis Octaviam pete. Subagitat ille vegeta, sed molli et lenta concussione. Amplector, osculor, nec moveo. Sentio me remitti. Suspirium mitto. Nunc, nunc, Roberte, ingeminat nutrix lena, fave, fave Octaviae: rapidi tibi ferveant lumbi. Ille urgere, permolere. Mox collum appetit dente: cutem carpsit: gemitum dedi. Nunc, nunc, repetit Manilia, crissanti fave Roberto succussu: tolle lumbos, succute pernix. Bene est, alumna. Non ita, puto, lumborum placuit flexibilitate et mobilitate Lais. Coepit colliquescere dulcis puer, et ego intimos amoris sentio mihi sinus liquido exundare incendio. Nec lateribus peperci, nec animae. Celeriori nunquam itum cursu ad Veneris metam. Altera manu Manilia mulcebat mihi nates, altera Roberto. Apprehensa identidem summis digi-

tis cadurda stringebat, comprimebat, et incubantis testiculos molli emulgens compressione exprimebat. Defecit puer, et refugit nutrix, plaudens manibus: acta fabula.

Venustas imagines Cleopatrae et Julii Caesaris et Marci Antonii virilia molli manu tractantis spectare poteris in *Monumens de la vie p. d. d. C.* tabulis, IV et XII. Liviae eodem modo gratificantis Augusto in *Monumens du culte secret d. d. R.* tabula XVI. et Bacchae Fauno ibidem tabula V. Masturbantem proprie sic dictum cernes ibidem tabula IV, puellamque opus Tiberii Othonem paedicantis officiosa manu juvantem in *Monumens de la vie p. d. d. C.* tabula XLIV.

Sed fit quoque, ut delectet libidinosos manu solicitare aliena virilia, quo nihil indignius tulit Martialis XI, 23.

Mollia quod nivei duro teris ore Galesi
Basia, quod nudo cum Ganymede jaces,
Quis negat hoc nimium? sed sit satis: inguina saltem
Parce fututrici solicitare manu.
Laevibus in pueris plus haec quam mentula peccat,
Et faciunt digiti praecipitantque virum.
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.

Divisit natura marem: pars una puellis,
Una viris genita est. Utere parte tua.

Vult, mentulam datam esse maribus, qua uterentur puellae, culo, quo viri. Utatur ergo culo potius, quam mentula Galesi. Eodem spectat illud ejusdem XI, 71. in Tuccam, pueros vendere volentem:

Ah facinus, tunica patet inguen utrinque levata,
Inspiciturque tua mentula facta manu.

Nefas esse ait, pueros, quos mollis Tucca ad libidinem aluisset, jam venum exponi, eorumque mentulas exspectatas et manu tractatrice domini crescere jussas emtoribus tradi inspiciendas. Similiter Eumolpus fricuit nervum Encolpio capite 140 Petronii: *haec locutus* (Encolpius loquitur) *sustuli tunicam, Eumolpoque me totum adprobavi. At ille primo exhorruit, deinde, ut plurimum crederet, utraque manu deorum beneficia* (nervum rigentem) *tractat.*

Restat, ne quid promissi transiisse videamur, ut dicamus de cognata libidine, quae per cetera cava corporis recipitur. Paucis defungemur. Ac de *mammis* quidem Aloisiani sermonis pulegio uti liceat. *Per Veneris concham utramque*, Octaviae verba sunt parte III. p. 23 — 25. *pudore suffundi me sentio. Pu-*

det meminisse, id mammarum mearum interstitium viam factum esse ad Venerem. Pergula est in aedibus nostris, quae amoenissimas; et, nosti, hortorum spectat areas omni florum consitas genere. In ea spatiabantur ego et Caviceus. Amplexabatur, suaviabatur, labella appetebat morsiunculis. Demittit in sinum laevam: molior, inquit, improbum quid. Depone vestes, corculum. Quid facerem? depono. Defigit in nudum pectus oculos. Video, subjicit, tuas inter papillas dormientem Venerem. Vis excitem? Projicit dicens supinam in torum, mentulam fervidam, flammescentem (arrigebat praeclarissime) interserit mammis. Qui me huic eximerem impotentiae? ferenda erant ultro citroque omnia. Molli manuum nisu utramque conjungens urgebat mammam, quo scilicet lata mirus via procurreret sibi nervus ad voluptatem hanc novam. Quid plura? conspersit attonitam insolenti ridiculae Veneris imagine, calentique perfudit rore: perfecit. De aliis autem corporis cavis, alis, puto, feminibus, poplitibus, natibus (natibus inquam, non ano) nominasse suffecerit Heliogabalum: Lampridius cap. 5. *quis enim ferre posset principem per cuncta cava corporis libidinem recipientem, quum ne belluam quidem talem quisquam ferat?* et Commodum: idem Lampridius cap. 5. *nec irruentium in se juvenum ca-*

rebat infamia, omni parte corporis atque ore in sexum utrumque (fellando et cunnum lingendo) *pollutus.*

Licebitne huc referre etiam libidinem eorum, qui aut mortuas feminas, aut statuas polluunt? neque enim verus coitus est, ubi non sunt duo coëuntes. In Aegypto quidem Herodotus refert II, 89. deprensum quendam esse, recenti cadavere muliebri libidinose abutentem: λαμφθῆναι γάρ τινά φασι μισγόμενον νεκρῷ προσφάτῳ γυναικός, κατειπεῖν δὲ τὸν ὁμότεχνον; qua de causa lege sancitum esse, ne feminae nobiles et formosae prius traderentur conditoribus, quam triduo aut quatriduo post obitum. Et quis nescit, quid Veneri Praxitelis Gnidi acciderit? Plinius Hist. nat. XXXVI, 5. *ferunt amore captum quendam, cum delituisset noctu, simulacro cohaesisse, ejusque cupiditatis esse indicem maculam.* Consimilis error tauri, qui, narrante Valerio Maximo VIII, 11. *ad amorem et concubitum aeneae vaccae Syracusis nimiae similitudinis irritamento compulsus est.*

Caput V.

DE CUNNILINGIS.

Satis multa de opere Venereo, quod per mentulam editur: sequitur ut quomodo Veneri sacra fieri etiam possint sine mentula videamus. Fieri possunt aut lingua, aut clitoride. Erit igitur dicendum primum de cunnilingis, dein de tribadibus.

Quemadmodum fellatoris fellatricisve est lingere virilia, ita cunnilingi, muliebria. Cunnilingus peragit opus linguam arrigendo in cunnum. Rem portentosam dilucide satis et perspicue expedivit Martialis XI, 62.

Lingua maritus, moechus ore Mannejus,
Summoenianis inquinatior buccis,
Quem cum fenestra vidit a Suburana
Obscena nudum lena, fornicem clausit,
Mediumque mavult basiare quam summum,
Modo qui per omnes viscerum tubos ibat,
Et voce certa consciaque dicebat,
Puer an puella matris esset in ventre,
(Gaudete cunni, vestra namque res acta est)
Arrigere linguam non potest fututricem.
Nam dum tumenti mersus haeret in vulva,
Et vagientes intus audit infantes,
Partem gulosam solvit indecens morbus,
Nec purus esse nunc potest, nec impurus.

Quae linguae fututrici Manneji, eadem accidit paralysis linguae Zoili: Martialis XI, 86.

Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua,
Dum lingis. Certe, Zoile, nunc futuis.

Cunnilingus erat Baeticus, Cybeles ille sacerdos eviratus, in quem Martialis III, 81.

Quid cum femineo tibi, Baetice Galle, barathro?
Haec debet medios lambere lingua viros.
Abscissa est quare Samia tibi mentula testa,
Si tibi tam gratus, Baetice, cunnus erat?
Castrandum caput est: nam sis licet inguine Gallus,
Sacra tamen Cybeles decipis: ore vir es.

Absque hoc loco minime dubio esset, haereres in ambiguitate epigrammatis 77 ejusdem libri:

Nescio quod stomachi vitium secretius esse
Suspicor. Ut quid enim, Baetice, σαπροφαγεῖς?

Nam putrida edere posset aeque dici fellator et cunnilingus, sicut in loco Galeni, quem supra protulimus, uterque vocatur κοπροφάγος. Sed Baetico res est cum femineo barathro, ore vir est; lingit igitur, non fellat. Contra ea lingua *moecha* Tongilionis III, 84. fellat, non lingit: nam lingua cunnilingi moechum imitatur, quia init; fellatoris autem moecham,

quia initur. Saepe in his nugis minus accurate versati sunt viri docti. Cunnilingus erat alter ex geminis fratribus diversa inguina lingentibus, apud Bilbilitanum nostrum III, 88. Priapi ille vicinus, *per quem misella Landace vix posse jurat ambulare prae fossis* diserte dicitur cunnilingus Priapeio LXXVIII. quem Scioppius quidem nihil vult fuisse nisi fututorem, sed quid est quod discedamus a significatione verbi et propria et perpetua? an fossae? quasi cunnus ut strenua fututione, ita non posset etiam lingua cunnilingi nimio plus lacessitus laxior reddi. Nec Tiberius Caesar in secessu Capreensi cunnilingorum voluptatem sprevisse videtur: cujus enim alius turpitudinis notam homini isti omnium notarum inustam putemus in Atellanico exodio, teste Suetonio in Tiberio capite 45. assensu maximo excepto, *hircum vetulum capreis naturam ligurrire*, nisi cunnilingi? Spectare vis Tiberium ligurrientem? Suggerent tibi imaginem *Monumens de la vie pr. d. d. C.* tabula XXII.

Sextus quoque Clodius iste, cui Cicero saepius oris exprobrat impuritatem ac linguae spurcitiem, pro domo c. 10. et 18. pro Coelio cap. 32. cunnos videtur linxisse. Hinc aculeus ille Ciceronis pro domo c. 18. *Sexte noster, bona venia, quoniam jam dialecticus es, et hoc quoque ligurris.* Certe, si linxit, Clo-

diam, Publii Clodii sororem, [u] Quinti Metelli uxorem, amicam omnium, linxit: Cicero pro domo c. 31. *quaere hoc ex Sexto Clodio, jube adesse: latitat omnino: sed si requiri jusseris, invenient hominem apud sororem tuam* (Publium Clodium alloquitur) *occultantem se capite demisso.* Advertas quaeso caput demissum: mox recurret in Graecis.

Neque enim Graeci ab lingendi libidine abhorruerunt. Huc pertinent epigrammata LXXIV. LXXV. et LXXVI. in Analectis Brunkii tomo III. p. 165.

LXXIV.

Τὴν φωνὴν ἐνοπήν σε λέγειν ἐδίδαξεν Ὅμηρος·
τὴν γλῶσσαν δ' ἐνοπὴν τίς σ' ἐδίδαξεν ἔχειν;

Ludit ignotus poëta in ambiguitate verbi ἐνοπή, probum linguae usum subjicientis, si ab ἔπω dico, improbum, si ab ὀπή foramen fluxisse statuas.

LXXV.

Ἀλφειοῦ στόμα φεῦγε· φιλεῖ κόλπους Ἀρεθούσης,
πρηνὴς ἐμπίπτων ἁλμυρὸν ἐς πέλαγος.

---

u. Sed non sororem tantum fuisse Clodiam Publio Clodio, apparet ex festivo joco Ciceronis pro Coelio cap. 18. *nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere: semper hic erro.*

Et hoc epigrammate aucupatur poëta incognitus ambiguitatem verborum *ϛόμα*, *κόλπος*, *πηγνῆς* et *ἁλμυρὸν πέλαγος*, quae cum ad Alpheum, Arcadiae fluvium, et Arethusam, Syracusanum fontem, referri possunt, tum ad os demissum cunnilingi, mersi haerentis in vulva pathicae, id quidem non sine cogitatione quadam adjuncta, de qua post paulo monemus.

LXXVI.

Χεῖλων καὶ λείχων ἴσα γράμματα· ἐς τί δὲ τȣ̃το;
λείχει καὶ χεῖλων, κἂν ἴσα, κἂν ἄνισα.

Lusus in Chilonem cunnilingum. Hunc ait jure quodam suo lingere, qui vel nomine iisdem literis constante prae se ferat lingentem, et lingentem quidem tum labra oris, ut labris lingentis similia, tum cunni, ut dissimilia.

Ejusdem argumenti videtur esse Meleagri distichon in Phavorinum, ab Huschkio in Analectis criticis p. 245. editum:

Εἰ βινεῖ Φαβορῖνος ἀπιϛεῖς· μηκέτ' ἀπίϛει·
αὐτός μοι βινεῖν εἶπ' ἰδίῳ στόματι.

Uti Martialis, non minus quam Horatius felicissime saepe audax, III, 84. *narrat* posuit

de eo, qui lingua abutitur ad fellandum, sic Meleager *** de eo, qui ad lingendum.

Aliquanto obscurius est illud Ammiani in Analectis Brunkii tomo II. p. 386.

Οὐχ ὅτι τὸν κάλαμον λείχεις, διὰ τοῦτο σε μισῶ,
ἀλλ' ὅτι τοῦτο ποιεῖς καὶ δίχα τοῦ καλάμου.

quo scholiastae quidem auctor carpere videtur hominem ignavum et calamum scriptorium lingendo, ut alii ungues rodendo, tempus terentem, ita tamen, ut subinde etiam lingat sine calamo, cunnum. Sed possis etiam, atque haud scio an rectius, tactum existimare hominem, qui linguam exserendo obscenum gestum cunnilingi praeferre consueverit, vel sine cunno, in vita communi.

Eo insolentiae processit monstrosa libido, ut, incredibile dictu, ne siccos quidem cunnos lingere contenti madidos etiam aut menstruo aut alio humore lingerent. Aristophanes in Equitibus v. 1280 — 1283. de Ariphrade:

Οὐδὲ παμπόνηρος, ἀλλὰ καὶ προσεξεύρηκέ τι·
τὴν γὰρ αὑτοῦ γλῶτταν αἰσχραῖς ἡδοναῖς λυμαίνεται,
ἐν κασαυρίοισι λείχων τὴν ἀπόπτυστον δρόσον,
καὶ μολύνων τὴν ὑπήνην, καὶ κυκῶν τὰς ἐσχάρας.

Lacessere vulvas, lambere rorem, inquinare barbam, ecce tibi homo vel madidos lingere

cunnos nequaquam dedignans! ecce ejusmodi barba, qualem deprensus habebat Ravola Juvenalis IX, 4. *dum Rhodopes uda terit inguina barba!* quanquam, ne quid diffitear, uda barba Ravolae possit etiam de udo pectine fututoris accipi. Ex hoc loco Aristophanis, satis et fere plus quam satis est perspicuo, intelligimus, illud quoque *γλωττοποιεῖν*, de eodem Ariphrade in Vespis v. 1274 ambigue positum, cunnilingum magis quam fellatorem notare:

Εἶτ' Ἀριφράδην πολύ τι θυμοσοφικώτατον,
ὅντινά ποτ' ὤμοσε μαθόντα παρὰ μηδενὸς
ἀλλ' ἀπὸ σοφῆς φύσεως αὐτόματον ἐκμαθεῖν
γλωττοποιεῖν, εἰς τὰ πορνεῖ' εἰσιόνθ' ἑκάστοτε.

Rursus is occurrit in Pace v. 885. quo, sublata omni ambiguitate, humorem muliebrem pro jusculo haurit:

Τὸν ζωμὸν αὐτῆς προσκύσαν ἐκλάψεται.

Quid? nec in hoc genere Romanorum defuit imitatorum pecus. Senecae debet famam Mamercus Scaurus: de beneficiis IV, 31. *quid tu, cum Mamercum Scaurum consulem faceres, ignorabas, ancillarum suarum menstruum ore illum hiante exceptare? numquid enim ipse dissimulabat? numquid purus videri volebat?* item Natalis: Epistola 87. *nuper Natalis tam improbae linguae quam impurae, in cujus ore*

feminae purgabantur. Fuit ergo uterque καταμηνίου πίνων, quo nomine Galenum appellare cunnilingos capite tertio vidimus.

Jam plane apparet, quid sibi velit Nicarchi in Demonactem epigramma tomo III. pag. 334. Analectorum Brunkii:

Δημῶναξ, μὴ πάντα κάτω βλέπε, μηδὲ χαρίζου
τῇ γλώσσῃ δεινήν· χοῖρος ἄκανθαν ἔχει.
καὶ συζῇς ἡμῖν, ἐν Φοινίκῃ δὲ καθεύδεις,
κοὐκ ὢν ἐκ Σεμέλης μηροτραφὴς γέγονας.

Adspicit nihil sursum, Materni pathici illius Martialei I, 97. instar: gratificatur linguae arrigendi cupidae; cunnus sit pilosus an depilatus flocci facit: interdiu videtur in Graecia vivere, sed dormire tamen in Phoenicia, quippe qui cruore menstruo phoenicei sive rutili, quis nescit? coloris v) ore exceptato inquinetur:

---

v) Non multo secus lusisse Gonsalvum Corduhensem Aloisia narrat III, 48. *erat et* l i g u r i t o r, *provectae, nam aliud mihi nihil persuaserint, aetatis vitio. Inserviebat vero libidini formosa viginti annorum puella. Cum vellet mediam lambere, se velle dicebat in* L i g u r i a m. Poterat eandem rem, adjuncta tamen cogitatione cunni humentis, tecte etiam significare ita, ut diceret, velle se ire in Phoeniciam, aut in mare rubrum, aut in mare salsum: nunc demum penitus intelliges *ἁλμυρὸν πέλαγος*, quo incidit Alpheus in epigrammate Anthologiae. Nec mul-

ceu Bacchus alter femoribus *) alitur: quid multa? nonne oculis tuis vides cunnilingum inguinibus haerentem, patrantem?

Nec inferiore aetate omnino defecit mira cunnilingorum libido. Castoris quidem et Euni nomina immortalitati haud invidendae ita tradidit Ausonii ingenium epigrammatis 120. 123. 125. 126. 127. 128.

---

tum abludunt salgama Ausoniana, de quibus paulo mox; nec *putri cepas alece natantes*, quas vorat Baeticus Martialeus III, 77. Num mirum foret, si, ut fellatores ab imitando Phoeniceorum morem, ita et cunnilingos a natando in mari quodam Phoeniceі coloris dixissent *φοινικίζειν*? Ecce autem dixerunt! Hesychius: *σκύλαξ σχῆμα ἀφροδισιακὸν, ὥς τὸ τῶν φοινικιζόντων*. Quid enim? schemate quodam Veneris utuntur *φοινικίζοντες*, quod dicitur *σκύλαξ* canis. Quis est, qui ullo putet sensu commodo caninum dici posse aut irrumandi schema, aut fellandi, et non oppido sentiat, nihil potuisse aptius excogitari ad cunnilingorum libidinem significandam canini schematis nomine, cum canes inde a legatorum infamia cunnilingos esse satis superque constet?

*) Ovidius Metamorph. III, 308—312.

Corpus mortale tumultus
Non tulit aethereos, donisque jugalibus arsit.
Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener, si credere dignum,
Insuitur femori, maternaque tempora complet.

Epigramma 120.

Lambere cum vellet mediorum membra virorum
Castor, y *nec posset vulgus habere domi,*
Repperit, ut nullum fellator perderet inguen:
Uxoris coepit lingere membra suae.

Epigramma 123 cum lemmate: ***in Eunum liguritorem:***

Eune, quid affectas vendentem Phyllida odores?
Diceris hanc mediam lambere, non molere.
Perspice, ne mercis fallant te nomina, vel ne
Aëre Seplasiae decipiare, cave,
Dum costum cysthumque putas communis odoris,
Et nardum ac sardes esse sapore pari.
Diversa infelix et lambit et olfacit Eunus:
Dissimilem olfactum naris et oris habet.

Vide, jocatur, ne Phyllidis unguentariae tuae Capuensis (Seplasia enim platea Capuae, in qua unguenta vendebantur), diversa dona communis putes odoris esse saporisve. Neque enim costum z olet ut cysthus, a neque nar-

y. Fortassean hic Castor idem est, qui tradente Ausonio in Professoribus Burdegalensibus XXII, 7. librum *cunctis de regibus ambiguis* ediderat.

z. Plinius Hist. nat. XII, 12. '*radix costi gustu fervens, odore eximio, frutice alias inutili.*

a. Cysthus est Graecum *κύσθος*, pudendum muliebre. Aristophanes in Lysistrata v. 1160. *ἐγὼ δὲ κύσθον γ᾽ οὐδέπω καλλίονα* (ὄπωπα).

dus [b] sapit ut sardae, pisciculorum genus sale condiri solitum, quo salsamento nihil aliud significare vult Ausonius, quam quod mari salso auctor epigrammatis Graeci, quam quod ipse mox salgamis, humorem madidi cunni. Euno tamen quid lambat, quid olfaciat, minus pensi est. Diversa lambit et olfacit. Unguenta bene olentia olfacit, muliebria male olentia lambit. Aliam igitur sequitur legem nasus, aliam os hominis.

Epigramma 126. in eundem Eunum:

Salgama non hoc sunt quod balsama: cedite odores:
Nec male olere mihi, nec bene olere placet.

Ludit circa eundem fere sensum. Balsama dicit odores quos Phyllis vendit, salgama, quos exhalat concha. Salgama proprie sunt radices herbaeque sale conditae in hibernum usum, quarum non est omnium narium odor. Quod addit, nec male nec bene olere sibi placere, expressit illud Martialis VI, 55. in Coracinum, qui et ipse erat cunnilingus: *malo quam bene olere nil olere.*

---

b. Plinius Historia naturali XII, 12. *de folio nardi plura dici par est, ut principali in unguentis.*

Epigramma 126.

Λαΐς, Ἔρως, et Ἴτυς, Χείρων, et Ἔρως, Ἴτυς alter:
Nomina si scribis, prima elementa adime.
Ut faciam verbum, quod tu facis, Eune magister,
Dicere me Latium non decet opprobrium.

Primae literae sex nominum Graecorum efficiunt λείχει, lingit. Similis lusus poëtae phallici carmine LXVII. in verbo *paedicare:*

*P*e*nelopes primam* D*i*-*donis prima sequatur,*
Et primam ca*ni syllaba prima* Re*mi.*
Quodque fit ex illis, mihi tu deprensus in horto
Fur dabis: hac poena culpa luenda tua est.

Ludit vero etiam Ausonius in ambiguitate *faciendi verbum.* Non vult ipse facere, id est ponere, verbum lingere, ut Latinis auribus turpius; Eunus tamen illud verbum non dubitat facere, id est agendo exprimere.

Epigramma 127.

Eune, quod uxoris gravidae putria inguina lambis,
Festinas glossas non natis tradere natis.

Videris, inquit, jam natis tuis nondum natis glossam, linguam intelligit, arrigendo, munus tuum grammaticum ita praestare, ut glos-

sas, obscuriorum verborum nunc intelligit interpretationem, c iis tradere festines. Sic gravidas etiam linxit Mannejus Martialeus, quem supra in partem vocavimus.

Epigramma 128 cum lemmate: *ad eundem paedagogum liguritorem:*

Eunus Syriscus inguinum liguritor,
Opicus magister (sic eum docet Phyllis)
Muliebre membrum quadriangulum cernit,
Triquetro coactu Delta literam ducit.
De valle femorum altrinsecus pares rugas
Mediumque, fissi rima qua patet, callem
Psi dicit esse; nam trifissilis forma est.
Cui ipse linguam cum dedit suam, Labda est,
Veramque in illis esse Phi notam sentit.
Quid imperite Rho putas ibi scriptum,
Ubi locari Jota convenit longum?
Miselle doctor, Tau tibi sit obsceno,
Tuumque nomen Theta sectilis signet.

---

c. Quintilianus Instit. orat. I, 1. *potest interpretationem linguae secretioris, quas Graeci γλώσσας vocant, ediscere.* Alcuinus in Grammatica pag. 2086 operis Putschiani: *glossa est unius verbi vel nominis interpretatio, ut: catus, id est, doctus.* Qua occasione data liceat bibliothecae aulicae Coburgensis praefecto adnotare, esse in ea egregium operis Putschiani exemplar cum adscriptis in margine libri quarti et quinti Prisciani variis lectionibus manu Joannis Schefferi, qui anno 1679 Upsaliae obiit, ita praefantis: *quae in hoc libro ad Prisciani lib. IV et V ad margi-*

Opicum dicit liguritorem, quia frequentissimus fuit, Festo teste, Oscis sive Opicis spurcarum libidinum usus. Jocatur deinde, vel potius Eunum proponit jocantem in forma pudendi muliebris, [d] quod illi ait videri aut quadriangulum, aut triangulum, ut respondeat figurae Graeci *Δ*, quemadmodum et Aristophanes cunnum δέλτα dixit in Lysistrata v. 151. δέλτα παρατετιλμέναι; aut simile Ψ literae, ita

---

nem notata reperiuntur, facta sunt ad exemplar manuscripti perantiqui atque optimae notae, in quo multa pristinae Romanae scripturae vestigia reperiebantur, e. g. dirivare pro derivare, peneultimus et antepeneultimus pro penultimus et antepenultimus, Oratius pro Horatius, et plura alia.

d. Quoniam forte sermo incidit de forma pudendi muliebris, non erit instituti nostri ratione alienum, semel subjicere illius membri nomina Latina, maximam partem ex Aloisiae thesauris collecta: ager, *annulus*, arvum, caverna, clitorium, concha, *cunnus*, cymba, cysthus, fossa, hortus, interfemineum, navis, ostium, porcus, porta, rima, saltus, scrobs, sulcus, vagina, virginal, vulva. Et quid impedit, quo minus adjiciamus virilium quoque nomina? En haec illa sunt: arma ventris, catapulta, cauda, caulis, colei, columna, contus, coleata cuspis, fascinum, hasta, inguen, machaera, mentula, mutinus, muto, nervus, nota virilis, palus, peculia, penis, pessulus, phallus, pilum, pomum, pyramis, scapus, sceptrum, seminale membrum, subula, taurus, telum, tormentum, trabs, thyrsus, vasa, vasculum, vena, veretrum, verpa, verpus, virga, vomer. Sed plus satis!

quidem, ut rugae, valvam ab utraque e) parte cingentes, labra sint cunni, medius callis, qua patet rima fissi, sit os vulvae, forma autem trifissilis Ψ literae, quam in Technopaegnio versu 140 tricornigeram furcam vocat, repraesentet speciem rimae per lineam mediam, labrorum per brachia utrinsecus annexa. Addit, Labdam esse Eunum, cum lingat, a prima litera verbi λείχειν, neque eum posse, quin in partibus istis haerens veram linguae fututricis notam Φ esse sentiat. Quae omnia luce ipsa clariora nescio cur obscura esse questus sit eruditissimus Elias Vinetus. Nec ita multo plus laboravi in eo quod subjungit Ausonius de Rho et Jota literis. Si quidem lectio sana est, id mihi velle videtur: non est, Eune, quod hastam tuam patrantem similem esse praedices P literae Graecorum, coleatae cuspidis speciem prae se ferenti, qui non alia hasta utaris ad Venerem, quam lingua, cujus formam ipse non negabis magis convenire cuspidi non coleatae, qualis est figura Jota literae: nempe me non fallis, scientem, velle te videri non

---

e. Nam *altrinsecus* Ausonio est idem quod utrinsecus, ab utraque parte. Sic Lactantius de opificio dei cap. 8. *quarum* (aurium) *duplicitas incredibile est quantam pulchritudinem prae se ferat, quod tum pars utraque similitudine ornata est, tum ut venientes altrinsecus voces facilius colligantur.*

tam cunnilingum, quam fututorem, ut Gargilius ille, de quo Martialis III, 96. *lingis, non futuis meam puellam, et garris quasi moechus et fututor.* Postremum imprecatur homini crucem per Tau, mortem per Theta. Ac de hoc quidem res certa: constat enim Θ literam in Graecorum judiciis notam fuisse condemnationis, a prima litera vocabuli θάνατος ductam. f De illo autem utique est dubitationi locus. Nam te latere nolo, in libris et scriptis et excusis pro Tau dari ȣ, quod licet praeeunte magno Josepho Scaligero haud absurde accipi possit de laquei collum obstringentis figura, hoc tamen mihi aliquid scrupuli injicit, quod litera composita, minor, per compendium dubiae antiquitatis scripta, in serie literarum simplicium, majorum, plene scriptarum, locum minus aptum occupare videtur. Quare haud scio an Ausonii manus dederit *ταυ*, unde, litera prima alicujus librarii mendo neglecta, facile nasci potuit *αυ*, deinde *ου*. Crucis certe signum Tau esse, neminem fugit. Tertullianus adversus Marcionem III, 22. *ipsa est enim litera Graecorum Tau, nostra autem T, species crucis.*

---

f. Persius IV, 13. *et potis es, nigrum vitio praefigere Theta.* Videsis etiam Martialem VII, 36.

Ut irrumare, ita, et multo etiam magis, cunnum lingere in seniores potissimum [g] cadere videtur, quibus mentula stare negat. Aloisia III, 48. *erat et* (Gonsalvus Cordubensis) *liguritor, provectae, nam aliud mihi nihil persuaserint, aetatis vitio.* Martialis XI, 48. *cur lingit cunnum Blatara? ne futuat.* Idem VI, 26. *arrigere desit posse Sotades: lingit.* Idem XII, 88.

Triginta tibi sunt pueri totidemque puellae;
Una est, nec surgit mentula: quid facies?

Nempe linget, ut Linus apud eundem XI, 26.

Illa salax nimium, nec paucis nota puellis
Stare Lino desit mentula: lingua cave.

Fortasse et linxit Sextillus: Martialis II, 28.

Rideto multum, qui te, Sextille, cinaedum
Dixerit, et digitum porrigito medium. [h]

---

g. Potissimum inquam: nam placuisse interdum et junioribus lingere quos molere potuissent cunnos, per singularem quandam lasciviae impotentiam, cognoscimus ex Martialeo XI, 86.

Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua,
Dum lingis: certe, Zoile, nunc futuis.

h. Cum digitus medius porrectus, reliquis incurvatis, tentam repraesentet mentulam cum coleis suis, factum est, ut medium digitum hoc modo ostenderent (Graeci uno verbo dixerunt

Sed nec paedico es, nec tu, Sextille, fututor,
Calda Vetustillae nec tibi bucca placet.
Ex istis nihil es, fateor, Sextille: quid ergo es?
Nescio; sed tu scis, res superesse duas.

Duae res supererant Sextillo, fellare et lingere, ut qui nec fututor, nec cinaedus, nec paedico, nec irrumator esset. Utram praetulerit, non liquet.

Eadem causa lingendi est eunuchis,[i] quae senioribus non amplius pene potentibus. Gre-

σκιμαλίζειν) cinaedis, sive pelliciendis, sive irridendis: Martialis I, 93. *saepe mihi queritur Cestus tangi se digito, Mamuriane, tuo:* atque etiam aliis, quos vellent despicatui habere: idem VI, 70. *ostendit digitum sed impudicum* (medicis Martianus semper bene valens). Tulit et infamis nomen miser ille digitus: Persius sine ulla obscena cogitatione adjuncta II, 33. *avia puerum infami digito expiat.*

i. Eunuchos tamen, quibus testiculi tantum aut excisi sunt, aut collisi, non penis resectus, neutiquam deficit libido: futuere etiam possunt, idque eo securius, quod nihil generant. Res bene nota erat matronis Romanis. Martialis VI, 67.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quaeris,
Pannice. Vult futui Gellia, non parere.

Juvenalis VI, 365—67.

Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, et desperatio barbae,
Et quod abortivo non est opus.

gorius Nazianzenus in Epitaphio Basilii magni: τὺς ἐκ τῆς γυναικωνίτιδος, τὺς ἐν γυναιξὶν ἄνδρας, ἐν ἀνδράσι γυναῖκας, τὺς τῦτο μόνον ἀνδρικὺς τὴν ἀσέβειαν, οἳ τὸ φυσικῶς ἀσελγαίνειν ὐκ ἔχοντες, ᾧ δύνανται μόνον, τῇ γλώττῃ πορνεύυσιν.

Male cunnilingis olebat os, unde basiationes cunnilingorum aeque vitabantur ac fellatorum. Martialis XII, 87.

Hieronymus in Vita Hilarionis: *procurator calamistratus, et in longam et securam libidinem factus spado.* Ut certior esset libido, testiculos non prius exsecandos callidae curabant, quam penis in justam magnitudinem crevisset, verentes, id si ante diem fieret, ne pusillus exiguusque jaceret. Spadones poscunt bene mutoniatos, qui possint vel Priapum provocare, vel exoletorum podices discerpere. His futui cupiunt, partus securae. Juvenalis VI, 367—377.

Illa voluptas
Summa tamen, quod jam calida matura juventa
Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro.
Ergo exspectatos ac jussos crescere primum
Testiculos, postquam coeperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
Balnea, nec dubie custodem vitis et horti
Provocat a domina factus spado. Dormiat ille
Cum domina, sed tu tam durum, Posthume, jamque
Tondendum eunucho Bromium committere noli.

Paedíconibus os olere dicis.
Hoc si sic, ut ais, Fabulle, verum est,
Quid tu credis olere cunnilingis?

Idem XII, 59.

Te vicinia tota, te pilosus
Hircôso premit osculo colonus,
Fellatorque recensque cunnilingus.

Hirci videntur et cunnilingi et fellatores propter oris foetorem dici Catullo XXXVII, 3. 4. 5.

Solis putatis esse mentulas vobis,
Solis licere quidquid est puellarum
Confutuere, et putare ceteros hircos?

Cave putes, hircos vocari hoc loco capros castratos, contra perpetuum loquendi usum, hircos jubentem capros esse integros. Redit sententia eodem, via autem diversa. Putatis, inquit, solis esse penes vobis legitimos ad futuendum, ceteros oris hircino foetore prodere cunnilingorum fellatorumve olidam spurcitiem, atque illa ipsa spurca libidine inertiam inguinum effoetasque vires, per quas nihil possint, nisi aut fellare aut lingere, more solito eorum, qui arrigere dedidicerint. Nunc plenius intelliges aculeum illum Atellanicum in Tiberium Caesarem: h i r c u m *vetulum capreis naturam ligurrire.*

Malebant fututores haberi quam cunnilingi, primum ne deterrerent basiatores: Martialis VII, 94. *centum occurrere malo cunnilingis:* Suetonius de illustribus grammaticis c. 23. *sed maxime flagrabat* (Remmius Palaemon) *libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris, dictoque non infaceto notatum ferunt cujusdam, qui, cum in turba osculum sibi ingerentem, quanquam refugiens, devitare non posset, vis tu, inquit, magister, quoties festinantem aliquem vides, abligurire?* vel convivas: Aristophanes in Equitibus v. 1285. 86. de Ariphrade:

Ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα μὴ σφόδρα βδελύττεται,
οὔτε ποτ' ἐκ ταυτοῦ μεθ' ἡμῶν πίεται ποτηρίου.

deinde vero etiam ne lumbos exhaustos jacentemque exiguum cum ramice nervum prae se ferre viderentur: Martialis III, 96.

Lingis, non futuis, meam puellam,
Et garris quasi moechus et fututor.

Proinde operam dabant cunnilingi, non minus quam fellatores, ut unguentorum odore spurcitiem oris dissimularent: Martialis VI, 55.

Quod semper casiaque cinnamoque
Et nido niger alitis superbae
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos, Coracine, nil olentes:
Malo, quam bene olere, nil olere.

Ne dubites, fellator fuerit Coracinus an cunnilingus, palam et aperte cunnilingus dicitur IV, 43.

Non dixi, Coracine, te cinaedum:
Non sum tam temerarius, nec audax.
Quod dixi tamen, hoc leve et pusillum est,
Quod notum est, quod et ipse non negabis,
Dixi te, Coracine, cunnilingum.

Venerem putabant injurias et sibi et suis illatas non tantum ita ulcisci, ut rei essent pathici, verum etiam ut cunnilingi. Hinc pathica libido Philoctetis, *Herculis haeredis, quam Lemnia suasit egestas*, ut verbis utar Ausonii epigrammate 71. qua libidine Venus vindicasse fertur vulnera Paridis: Martialis II, 84.

Mollis erat facilisque viris Paeantius heros:
Vulnera sic Paridis dicitur ulta Venus.

Hinc Martialis loco modo citato cunnilingum esse jocatur Sertorium, quasi si Erycem, filium Veneris, occidisset:

Cur lingat cunnum Siculus Sertorius, hoc est,
Ex hoc occisus, Rufe, videtur Eryx.

Videntur cunnilingi fere palluisse, cujus rei causam ut aperiant medici curent. Hinc de-

mum intelliges, quid salis insit in epigrammate Martialeo de Charino I, 78.

Pulchre valet Charinus, et tamen pallet.
Parce bibit Charinus, et tamen pallet.
Bene concoquit Charinus, et tamen pallet.
Sole utitur Charinus, et tamen pallet.
Tingit cutem Charinus, et tamen pallet.
Cunnum Charinus lingit, et tamen pallet.

Scilicet in causis non pallendi numeratur denique et vera causa pallendi. Similiter videntur etiam fellatores palluisse. Catullus LXXX.

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo cum exis, et cum te octava quiete
E molli longo suscitat hora die.
Nescio quid certe est. An vere fama susurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe clamant Virronis rupta miselli
Ilia, et emulso labra notata sero.

Rupta ilia sunt irrumatoris, labra emulso Virronis semine notata sunt Gellii fellatoris; re ipsa locum paulo ambiguum sic accipi jubente. Ceterum Virronis pathici, nescio an ejusdem, supra mentionem fecimus ex Juvenale IX, 35. *quamvis te nudum spumanti Virro labello viderit.*

Nec minus videntur pathici quam fellatores palluisse. Juvenalis II, 50. *Hippo*

subit juvenes et morbo pallet *utroque.* Pathicus erat, ut qui subiret juvenes; fellator, ut quem opponeret poëta feminis, sibi pudenda invicem non lambentibus: *Taedia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam.* Rarissimae enim cunnilingae, etsi non prorsus inauditae: unius certe memoriam servavit Martialis, de qua capite proximo.

Caput VI.

DE TRIBADIBUS.

Tribades dictae a τρίβω frico, frictrices,[k] sunt quibus ea pars naturae muliebris, quam clitoridem vocant, in tantam magnitudinem excrescit, ut possint illa pro mentula vel ad futuendum vel ad paedicandum uti. Excrescere quidem solet clitoris,[l] quae est caruncu-

k. Dictae etiam sunt ἑταιρίστριαι. Hesychius: ἑταιρίστριαι τριβάδες. Et διεταιρίστριαι, eodem auctore: διεταιρίστριαι γυναῖκες αἱ τετραμμέναι πρὸς τὰς ἑταίρας ἐπὶ συνουσίᾳ, ὡς οἱ ἄνδρες, οἷον τριβάδες.

l. Aloisia p. 36. 37. *sed de clitoride* (Tulliae verba audis) *me fugit dicere. Speciem penis refert membranosum corpus in extrema fere pube. Ac*

la perquam irritabilis, palpitans, peni haud absimilis, omnibus feminis, non in coitu solum, cujus delicias titillatione adaucta creditur mirifice juvare, verum etiam prurientibus; tribadibus vero aut lusu naturae, aut crebro usu praeter modum crescit. [m] Arrigit tri-

---

si penis esset, obdurescit tentigine: improba adeo titillatione feminas inflammat vividioris paulo naturae, ut adhibita manu, si irritentur ad Venerem, plerumque non exspectato conscensore ipsae sponte colliquescant.

m. Nisi tribas fuit, potuit certe illa esse, quam vidit Platerus, teste Venetto in libro de arcanis rei Venereae Francogallice scripto I, 1, 3. cui clitoris, quae aliis, cum maxime excrescit, solet esse plus minus dimidium digiti minimi longa, non brevior erat anseris collo. Quid mirum, si feminae pensilibus nimis peculiatae de tanto incommodo tollendo valde sollicitae sunt? Amputatio tamen periculosa. Platerus saltem jam institutam non ausus est persequi; ne instituere quidem, etsi regina flagitante, Rodohamides, medicus Aegyptius saeculi XI, narrante Venetto IV, 2. An audaciores fuerunt illi, quibus mulieres castrandas tradidit Adramytes Lydorum rex? Athenaeus XII, 11. *ὁ δ' οὖν Ξάνθος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Λυδιακῶν Ἀδραμύτην φησὶ τῶν Λυδῶν βασιλέα πρῶτον γυναῖκας εὐνουχίσαντα χρῆσθαι αὐταῖς ἀντὶ ἀνδρῶν εὐνούχων.* Quicquid fuerunt, fuerunt male torquendis interpretibus hae eunuchae. Sunt qui de fibulis cogitent, quales hodieque ferunt Italos Hispanosve zelotypos uxorum pudendis, ut pudicitiae cingula, imponere; sunt, qui de suturis, quibus cunnos puellarum tueri solent Angolitani et Congitani: sed haud scio an ita explicare sit desperare. Neque istae id passae videntur, quod etiamnum

bas, fodit cunnum culumve, laetissima permulcetur voluptate, praestat titillationem nisi justam, aliquam tamen, feminae quam subigit: quid multa? omnia facit, quae fututor,

---

pati constat puellas apud Arabes, Coptos, Aethiopes, et in regionibus quibusdam Persiae et Africae nigrae, quibus praeputium clitoridis praeciditur, cujus rei testes bene multi satisque locupletes nominati sunt in Encyclopaedia Erschii et Gruberi sub voce Beschneidung: nam qui fieri potuit, ut quod institutum esset, ut foecundius parerent, id ipsum *εὐνουχίζειν* diceret Athenaeus? Fuit cum illas tribadas fuisse putabam, resecta clitoride immani eunuchas factas, nunc autem magis adducor ut credam, transtulisse regem ad mulieres, quod factum esse novimus in feminis subus. Aristoteles in Historia animalium IX, 50. *ἐκτέμνεται δὲ καὶ ἡ καπρία τῶν θηλειῶν ὑῶν, ὥστε μηκέτι δεῖσθαι ὀχείας, ἀλλὰ πιαίνεσθαι ταχέως. Ἐκτέμνεται δὲ νηστεύσασα δύο ἡμέρας, εἶτα κρεμάσαντες τῶν ὀπισθίων σκελῶν τέμνουσι τὸ ἦτρον, ᾗ τοῖς ἄρρεσιν οἱ ὄρχεις μάλιστα φύονται· ἐνταῦθα γὰρ ἐπὶ ταῖς ἡμέραις ἐπιπέφυκεν ἡ καπρία.* Plinius Hist. nat. VIII, 51. *castrantur feminae* (sues) *quoque, sicuti cameli, post bidui inediam suspensae pernis posterioribus* (vulgatum *prioribus* ex compendio scribendi male intellecto natum videtur), *vulva recisa: celerius ita pinguescunt.* Columella VII, 9, 5. *feminis quoque* (subus) *vulvae ferro exulcerantur, et cicatricibus clauduntur, ne sint genitales.* Nec hodie rem exolevisse, adnotavit Schneiderus ad Columellae locum modo prolatum: castrari enim feminas sues, vaccas, equas, oves, ita quidem, ut ovaria aut tubae Fallopianae resecentur. Quidni statuamus, Adramytem simili ratione grassari coepisse in alterum sexum, ut recisis locis, ubi ova mulie-

quae paedico, praeter effluvium seminis, quanquam ne sic quidem tribadis coitus semper plane siccus erit, cum etiam feminae soleant saltante libidine colliquescere. *

---

bria delitescant, steriles redderet feminas? Verum prisci Aegyptii, qui teste Strabone libro XVII. p. 824. περιτέμνειν, καὶ τὰ θήλεα ἐκτέμνειν consueverunt, mihi quidem videntur non tam Lydorum more resecuisse locos ovorum intus reconditos, quam praeputium clitoridis praecidisse, ut in illis oris adhuc fieri paulo ante monuimus: nam cum τὸ ἐκτέμνειν junctum sit τῷ περιτέμνειν, consentaneum est, rem similem potius intelligere, quam longe dissimilem.

n. Ecce iterum Aloisia p. 37. *profecto dum me* (Tullia loquitur) *Callias nequitiis suis conscelerat, dum demulcet, dum attrectat, id ipsum* (colliquescere) *saepe saepius experta sum. Intra ipsius manus in his locis liberius ludentes copiosus decidit ex horto meo roscidus humor. Hinc illi in me jocorum larga seges, et facetiarum campus. Sed quid facerem? In cachinnos erumpit, rideo ego. Petulantiam ejus increpo, increpat libidinem meam: ludus sumus alter alteri, et dum ludimus verbis, re prosilit in me, sternit volentem nolentemque, init jacentem, et quod humoris hortum meum amisisse jocatur, vi magna refundit e suo, nihil ut querar per ejus culpam mihi periisse.* Item p. 74. *Compressit me* (Tulliam) *arctius Callias, promovit in uterum meum ea vi caudam ardentem, ut etiam videretur velle se totum in corpus meum immergere. Defluxit tunc in me deliciosus imber, et simul sentio etiam me liquescere, sed tanta et tam incredibili cum voluptate, ut nulla amplius in hoc Veneris furore habita honestatis ratione urgerem ipsa Calliam, subsultibus crebris fati-*

Hujus voluptatis insolentiam Lesbiis mulieribus (utrum coeli temperie, an solis fontiumve singulari virtute, an aliis de causis, parum liquet), admodum familiarem fuisse, antiquitus fama exiit. Lucianus Dialogo meretricio quinto p. 349 tomi VII Operum: τοιαύτας (ἑταιριστρίας) ἐν Λέσβῳ λέγουσι γυναῖκας, ὑπὸ ἀνδρῶν μὲν οὐκ ἐθελούσας αὐτὸ πάσχειν, γυναιξὶ δὲ αὐτὰς πλησιαζούσας, ὥσπερ ἄνδρας. Id si Lesbidibus in usu quotidiano positum erat, sane videntur natura ipsa duce ° rem excogitavisse, ut prurigine intoleranda levarentur. Tribadum omnium celebratissima et regina cui

---

garem, rogarem ut properaret. Ita defecimus, resolutis quasi artubus, ambo eodem temporis puncto. Jam facile perspicies, quo intendat epigramma Sosipatri in Analectis Brunkii I, 504.

Μέχρις ἀπεσπείσθη λευκὸν μένος ἀμφοτέροισι,
καὶ Δωρὶς παρέτοις ἐξεχύθη μέλεσι.

Reiskius quidem λευκὸν μένος censebat sudoris esse guttas: vah! virus est, quo in ultimo voluptatis aestu diffluit uterque sexus. Aloisia p. 81. *cum dicerem* (iterum audis Tulliam), *ipse superincumbens intorquet summis innixus viribus hastam, implet foecundo rore uterum, distillat etiam mihi* album virus. *Voluptatum magnitudini impares ambo alter in alterius amplexu sumus resoluti.* Plura exempla huc facientia passim protulimus ex Aloisiae divitiis.

o. Quae enim nimia clitoride laborant, iniri nequeunt, unde libidinantes vix aliter sibi consulere possunt, nisi ut tribadas agant. Conferas, si tanti, Venettum IV, 2. 4.

non dicta Sappho, et ipsa Lesbis? quam quidem post Maximum Tyrium plures tali scilicet infamia optimo consilio liberatum iverunt, sed audias ipsam Ovidianis verbis (an dubitas, reddi his firmam ratamque antiquitatis sententiam?) importunos liberatores deprecantem, Heroid. XV, 15—20.

Nec me Pyrrhiades Methymniadesve p puellae,
Nec me Lesbiadum cetera turba juvant.
Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno,
Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis,
Atque aliae centum, quas non q sine crimine amavi.
Improbe, multarum quod fuit, unus habes.

et versu 201.

Lesbides, infamem quae me fecistis amatae.

---

p. Pyrrha et Methymna civitates Lesbi sunt. Mela II, 7. *in Troade Lesbos, et in ea quinque olim oppida: Antissa, Pyrrha, Eresos, Methymna, Mytilene.*

q. Parum refert, legatur *quas* non *sine crimine amavi*, an cum libris quibusdam *quas* hic *sine crimine amavi*. Nam et si *hic* praeferas, erit in ipsa excusatione confessio accusationis: neque aliud poscimus, nisi ut concedatur, opinionem de tribadica Sapphus libidine non recens esse commentum, sed jam antiquis temporibus, quo jure nescio, percrebuisse. An potuit mutuus puellarum amor ullo unquam nomine aliter infamia adspergi, quam tribadico?

En hae sunt primum generatim, quas subagitavit Sappho, Pyrrhiades Methymniadesque puellae, deinde nominatim Anactorie, Cydno, Atthis: quibus addit Suidas Telesippam et Megaram: *ἑταῖραι δὲ αὐτῆς καὶ φίλαι γεγόνασι τρεῖς, Ἀτθὶς, Τελεσίππα, Μεγάρα, πρὸς ἃς καὶ διαβολὴν ἔσχεν αἰσχρᾶς φιλίας.* Quae veterum loca cum satis sint aperta, et nihil habeant justae dubitationis, licebit inde explicare ea, quae alias utique obscuriora et ambigua videri possent: ut *masculam Sappho* Horatii Epist. I, 19, 28. *querentem puellis de popularibus* ejusdem Od. II, 13, 25. Ovidiana de arte III, 331. *nota sit et Sappho: quid enim lascivius illa?* et Tristium II, 363. *Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas?* Martialeum VII, 68. [r]

Carmina fingentem Sappho laudavit amatrix:
Castior haec, et non doctior illa fuit.

Aliam tribadem Lesbiam, Megillam, liberrimum nobilitavit Luciani ingenium dialogo laudato, lepidissimo illo, nec ultra modum obsceno, nam abrumpitur, cum maxime dicendum erat, quod res esset, quamvis hunc Ger-

---

r. Vide, num sine causa factum sit, ut proximum epigramma 69 Philaenim, tribadem tribadum, sugillet.

manice ut verteret virgineus Vilandi nostri pudor neutiquam tulit. Leaenam introducit philosophus Samosatensis exponentem, quibus artibus a Megilla sit ad obsequium allecta. Leaenae quidem interroganti: *οὐκοῦν σὺ καὶ τὸ ἀνδρεῖον ἐκεῖνο ἔχεις, καὶ ποιεῖς τὴν Δημώνασσαν* (nam et Demonassam tribadico more permolebat Megilla) *ὅπερ οἱ ἄνδρες;* haec fere respondet: *ἐκεῖνο μὲν, ὦ Λέαινα, οὐκ ἔχω· δέομαι δὲ οὐδὲ πάνυ αὐτοῦ· ἴδιον δέ τινα τρόπον ἡδίω παραπολὺ ὁμιλοῦντα ὄψει με. Ἐγεννήθην μὲν ὁμοία ταῖς ἄλλαις ὑμῖν, ἡ γνώμη δὲ καὶ ἡ ἐπιθυμία καὶ τἆλλα πάντα ἀνδρός ἐστί μοι. Πάρεχε γοῦν, εἰ ἀπιστεῖς, καὶ γνώσῃ οὐδὲν ἐνδέουσάν με τῶν ἀνδρῶν. Ἔχω γάρ τι ἀντὶ τοῦ ἀνδρείου, ἀλλὰ πάρεχε, ὄψει γάρ.* Tandem precibus, donis, procul dubio etiam rei novitate mota se dedisse fatetur Leaena: *παρέσχον*, inquit, *ἱκετευούσης πολλὰ, καὶ ὅρμον τινά μοι δούσης τῶν πολυτελῶν, καὶ ὀθόνας τῶν λεπτῶν. Εἶτα ἐγὼ μὲν ὥσπερ ἄνδρα περιελάμβανον, ἡ δὲ ἐποίει τε καὶ ἐφίλει καὶ ἤσθμαινε καὶ ἐδόκει μοι ἐς ὑπερβολὴν ἥδεσθαι.* Verum enimvero Clonarium curiose sciscitantem: *τί ἐποίει, ὦ Λέαινα, ἢ τίνα τρόπον; τοῦτο γὰρ μάλιστα εἰπέ·* fallit: *μὴ ἀνάκρινε ἀκριβῶς, αἰσχρὰ γάρ· ὥστε μὰ τὴν Οὐρανίαν, οὐκ ἂν εἴποιμι·* dolente lectore, rei prodigiosae penitius cognoscendae cupido.

In tribadum numero poni quoque debent Philaenis, eadem haud dubie, quae de sche-

matibus scripsisse fertur, Luciano teste in Amoribus p. 88 tomi V. Operum: πᾶσα δὲ ἡμῶν ἡ γυναικωνῖτις ἔςω Φιλαινὶς, ἀνδρογύνυς ἔρωτας ἀσχημονῦσα; Sophoclidisca Plauti in Persa II, 2, 45.* cui Paegnium: *ne me attrecta, subagitatrix;* et Folia Ariminensis, quam *masculae libidinis* dixit Horatius Epodo V, 41. sed has leviter tangunt scriptores verecundiores quam pro impatientia lectoris curiosi. Quo nomine erit etiam, quod queraris de parsimonia Senecae Controversia secunda extrema: *Hybreas cum diceret controversiam de illo, qui tribada deprehenderat et occiderat, describere coepit mariti affectum, in quo non deberet exigi inhonesta inquisitio.*

---

*. Ne dubites quid sit ἀνδρογύνυς ἔρωτας ἀσχημονῦσα, expende contextum sermonis: ἄγε νῦν, ὦ νεώτερε χρόνε, καὶ τῶν ξένων ἡδονῶν νομοθέτα, καινὰς ὁδὺς ἄῤῥενος τρυφῆς ἐπινοήσας, χαρίσαι τὴν ἴσην ἐξυσίαν καὶ γυναιξὶν· ἀλλήλαις ὁμιλησάτωσαν, ὡς ἄνδρες, ἀσελγῶν δὲ ὀργάνων ὑποζυγωσάμεναι τέχνασμα, ἀσπόρων τεράςιον αἴνιγμα, κοιμάσθωσαν γυνὴ μετὰ γυναικὸς, ὡς ἀνήρ· τὸ δὲ εἰς ἀκοὴν σπανίως ἧκον ὄνομα, αἰσχύνομαι καὶ λέγειν, τῆς τριβακῆς ἀσελγείας, ἀναίδην πομπευέτω. Animadverte primum, tribades rarius exstitisse ac secretius; deinde clitoridem tribadis naturalem modum excedentem τέχνασμα dici ἀσελγῶν ὀργάνων ὑποζυγύμενον, eodem fere sensu, quo Seneca in Controversia secunda tale prodigium ἄνδρα dixit προσεῤῥαφθέντα, virum adsutum; postremo portentosi aenigmatis sterilium nomen, illi ipsi clitoridi inditum, ad coitus tribadici siccitatem referri.

At multo plenior, locupletior, explanatior est optimus Bilbilitanus noster. Age, hunc audias tribadicam Bassae artem ita perspicue enarrantem, ut nihil possit supra, I, 91.

Quod nunquam maribus junctam te, Bassa, videbam,
Quodque tibi moechum fabula nulla dabat,
Omne sed officium circa te semper obibat
Turba tui sexus, non adeunte viro,
Esse videbaris, fateor, Lucretia nobis;
At tu, pro facinus! Bassa, fututor erat.
Inter se geminos audes committere cunnos,
Mentiturque virum prodigiosa Venus.
Commenta es dignum Thebano aenigmate monstrum,
Hic, ubi vir non est, ut sit adulterium.

Putasne solis luce clarius esse, quid fecerit Bassa, inter se geminos ausa committere cunnos? Nihil minus. Fuerunt interpretes haud sane contemnendi, qui rem planissimam pessime ita intelligerent, ut aliarum feminarum pudenda pene scorteo sive ὀλίσβῳ perfricuisse Bassam putarent: de quo voluptatis genere, a Bassa virum mentiente alienissimo, in extremo hoc capite erit quaedam dicendi locus.

Nihil portentosius Philaenidis libidine, quae non modo ipsarum tribadum cunnos clitoridis tentigine perforabat: Martialis VII, 70

Ipsarum tribadum tribas Philaeni,
Recte, quam futuis, vocas amicam.

aliasque puellas, et undenas quidem in die, tribadico more subagitabat, verum etiam pueros paedicabat: idem VII, 67.

Paedicat [t] *pueros tribas Philaenis,*
Et tentigine saevior mariti
Undenas vorat in die puellas.

atque adeo cunnilingorum lasciviam tentabat, ne quid virilis voluptatis inexpertum relinqueret: in fine ejusdem epigrammatis:

Post haec omnia, cum libidinatur,
Non fellat: putat hoc parum virile:
Sed plane medias vorat puellas.
Di mentem tibi dent tuam, Philaeni,
Cunnum lingere quae putas virile.

Ipsam quoque se lingi passam esse Philaenim, nimio plus subantem, non obscure prodit IX, 41.

---

t. Pro *paedicat pueros* poterat etiam, si per metri legem licuisset, dicere *init pueros.* Nihil aliud sibi vult Senecae illud Epist. 95. *viros ineunt,* in quo misere se torsit magnum Lipsii ingenium: *libidine vero nec maribus quidem cedunt pati natae. Dii illas deaeque male perdant! adeo perversum commentae genus impudicitiae: viros ineunt.* Ecce tibi retecta Stygiis tenebris digna foeditas Lipsii: tribades sunt paedicantes.

Tarpejas Diodorus ad coronas
Romam cum peteret Pharo relicta,
Vovit pro reditu viri Philaenis,
Illam lingeret ut puella simplex,
Quam castae quoque diligunt Sabinae.

Vovet pro reditu mariti, ut cunnum sibi lingat puella simplicitatis pudicitiaeque spectatae. Ab impudicis enim lingi jam in consuetudinem verterat Philaenidi: nunc desiderabat experiri etiam pudicae officium, ut summa hominibus solet voluptatis inesse in novitate rei et insolentia. Rarissime enim accidisse, ut mulieres a mulieribus lingerentur, intelligitur ex Juvenale II, 47 — 49.

Non erit ullum
Exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Taedia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam.

Quid autem fortius, quid nervosius, quid lectorem in medias res, non secus ac notas, ad rapiendum aptius unquam reperias iris illis, quibus Juvenalea severitas excanduit in tribadum orgia, ea tempestate Romae noctu celebrari solita, VI, 308 — 333?

Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic,
Effigiemque deae longis siphonibus implent,
Inque vices equitant, ac luna teste moventur,
Inde domos abeunt. Tu calcas luce reversa

Conjugis urinam, magnos visurus amicos.
Nota bonae secreta deae, cum tibia lumbos
Incitat, et cornu pariter vinoque feruntur
Attonitae, crinemque rotant, ululantque Priapi
Maenades: o quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quae vox saltante libidine! quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!
Lenonum ancillas posita Laufeja corona
Provocat, et tollit pendentis praemia coxae;
Ipsa Medullinae frictum crissantis adorat.
Palmam inter dominas virtus natalibus aequat.
Nil ibi per ludum simulabitur, omnia fient
Ad verum, quibus incendi jam frigidus aevo
Laomedontiades et Nestoris hernia possit.
Tunc prurigo morae impatiens, tunc femina simplex:
Et pariter toto repetitus clamor ab antro:
Jam fas est, admitte viros: jam dormit adulter?
Illa jubet sumto juvenem properare cucullo:
Si nihil est, servis incurritur: abstuleris spem
Servorum, veniet conductus aquarius: hic si
Quaeritur, et desunt homines, mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem submittat asello.

Quid ergo? duplex erat orgiorum tribadicorum genus, quorum altero mulieres urbis nil sibi non permittentes arae pudicitiae illuderent, altero sacra bonae deae obirent. Vides primum ad pudicitiae aram, ut ipsa rei indignitas irritamentum sit Veneri saturae, tribadas

de nocte lecticis portari, micturire, [u] effigiem deae mingendo inquinare, urina longo tractu circum reddita, an in os deae projecta? [v] mane illa calcanda maritis patronos salutatum euntibus, alternis vicibus subagitare et subagi-

---

u. Prurientes feminas natura jubet micturire. Juvenalis VI, 63—65. *chironomon Ledam molli saltante* (Ledam, lascivis gestibus Jovem excipientem, saltando repraesentante) *Bathyllo Tuccia vesicae non imperat, Appula gannit, sicut in amplexu.* Idem XI, 166—168.

Major tamen ista voluptas
Alterius sexus: magis ille incenditur, et mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.

(Quod dicit Juvenalis, majorem esse voluptatem alterius sexus, eo pertinet, quod feminarum in Venere voluptatem majorem esse censebat, quam virorum: hinc etiam illud VI, 253. *nam quantula nostra voluptas!* Tiresia quidem judice apud Lucianum in Amoribus p. 85. voluptas feminarum altero tanto major est virili: *εἴ γε μὴ δικαστῇ Τειρεσίᾳ προσεκτέον, ὅτι ἡ θήλεια τέρψις ὅλῃ μοίρᾳ πλεονεκτεῖ τὴν ἄῤῥενα.*) Martialis XI, 17.

O quoties rigida pulsabit pallia vena,
Sis gravior Curio Fabricioque licet!
Tu quoque nequitias nostri lususque libelli,
Uda *puella leges, sis Patavina licet.*

v. Ambiguitas quaedam in *longis siphonibus.* Sunt enim aut stagna urinae ad aram missae, aut intelligit, ut Grangaei verbis utar, *ipsam urinam longo tractu in effigiem deae projectam, quod faciebant mulieres impudicae, manu suos locos premendo, diutuleque eam retinendo: sic enim urina prius coacta majori prosilit impetu.*

tari: en plus una Philaenis, tribas tribadum! Aliae deinde properare ad bonae deae mysteria scilicet, post Clodii [x] audaciam in vulgus nota: et tibiarum cornuumque cantu et vino illic ad cunnorum certamen strenue ineundum excitari: furere, crines passos hinc inde jactare, gannire, micturire. Tum praemium poni, ut fere in convivio Alexandri sexti, acerrimae subagitatrici: Laufeja provocare ancillas subagitandas: victrix ipsa tollere coronam: [y] nulla melius dare quam Medullina, crissandi artis peritissima vibratasque movere nates doctissima: palma virtutis obscenae hic fastu posito dominas aequare ancillis, infimo loco natis: nihil simulari per ludum, omnia fieri ad verum, [z] tribadico quidem more: tandem na-

---

x. Mox versiculis 335—39.

sed omnes
Noverunt Mauri atque Indi, quae psaltria penem
Majorem, quam sint duo Caesaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit.

y. Coxa pendens est femur tribadis superincubantis pro figura Fotidis Apulejanae Metam. II, 122. quae pendulae Veneris fructu Lucium suum satiavit.

z. Prorsus omnino omnia facta sunt ad naturae veritatem Parisiis anno 1791 in theatro publico, quo, referente Gynaeologiae auctore III, 423. ferorum hominum personis effictis nudus nudam

tura vincere, tribas finire, femina simplex redire, missa tribadica umbra prurigini levandae haudquaquam pari: undique clamor, jam fas est admitti viros, actutum cieri juvenes ingenui; qui si desunt, servi; si ne servi quidem sunt in promtu, vilissimi quique de trivio arripi; ademta facultate et horum conditionibus fruendi, nulla esse mora per ipsas impudicas, quo minus clunes etiam submittant asello! a

---

ingenti spectatorum utriusque sexus plausu rite compressit. At nil novi sub sole. Erat enim vetus Romanorum mos, ut prostibula in scenam producta post ludos exactos, ne deesset spectatoribus, quae modo natantibus oculis vidissent, nunc re vera agendi opportunitas, ibi prosternerentur, non sine praedicatione publica praeconis. Tertullianus de spectaculis c. 17. *ipsa etiam prostibula publicae libidinis hostiae in scena proferuntur, plus miserae in praesentia feminarum, quibus solis latebant, perque omnis aetatis, omnis dignitatis ora transducuntur, locus, stipes, elogium, etiam quibus opus est, praedicatur.* Isidorus Orig. XVIII, 42. *idem vero theatrum, idem et prostibulum, eo quod post ludos exactos meretrices ibi prosternerentur.* Non ita multo secus lusisse videntur raptores illi scortorum apud Livium II, 18. *eo anno Romae cum per ludos ab Sabinorum juventute per lasciviam scorta raperentur, concursu hominum rixa ac prope proelium fuit.*

a. Ne te fugiat dicendi subtilitas poëtae: *imposito clunem submittat asello.* Scit, mulierem vix aliter posse commode iniri ab asello, nisi aversam.

De origine [b] tribadum exstat fabula Phaedri IV, 14.

Rogavit alter tribadas et molles mares
Quae ratio procreasset. Exposuit senex.
Idem Prometheus auctor vulgi fictilis,
Qui simul offendit ad fortunam, frangitur.
Naturae partes, veste quas celat pudor,
Cum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis:
Ad coenam est invitatus subito a Libero,
Ubi irrigatus multo venas nectare
Sero domum est reversus titubanti pede,
Tum semisomno corde et errore ebrio
Adplicuit virginale generi masculo,
Et masculina membra adplicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

Masculinum quidem membrum feminis adplicitum clitoris est immanis tentiginis, qua tribades possint pro pene uti; virginale autem maribus aptatum quid erit aliud, nisi postica caverna, pathicis ita pruriens, ut feminis solet antica?

b. Aliam originem finxit Plato in Convivio p. 205 tomi X Operum Biponti editorum, ubi in eo est, ut exponat notum illud commentum de hominibus in duas partes a Jove divisis: *ὅσαι δὲ τῶν γυναικῶν γυναικὸς τμῆμά εἰσιν, ȣ̓ πάνυ αὗται ταῖς ἀνδράσι τὸν νȣ̃ν προσέχȣσιν, ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς τὰς γυναῖκας τετραμμέναι εἰσί· καὶ αἱ ἑταιρίστριαι ἐκ τȣ́τȣ τȣ̃ γένȣς γίγνονται.*

Neque Tertulliani aetate defuerunt tribades, quas frictrices vocat: de pallio c. 4. *aspice lupas, popularium libidinum nundinas, ipsas quoque frictrices:* item de resurrectione carnis c. 16. *et tamen calicem non dico venenarium, in quem mors aliqua ructarit, sed frictricis, vel archigalli, vel gladiatoris aut carnificis spiritu infectum, quaero an minus damnes quam oscula ipsorum?* Nec Aloisiae aevo tribadum artes exoleverant. *Noli*, inquit Tullia p. 30. *me putare proterviorem. Nam hic mos ubique fere terrarum inolevit: Italae, Hispanae, Gallae feminae invicem amant altera alteram, et si pudor absit, omnes confestim, altera in alteram, ruant prurientes.* Quid? quod exempla etiam profert tribadici furoris et sudoris; III, 117. 18. *erat Enemonda forma excellens, Fernando Portio soror, et Enemondae erat amica, Francisca Bellina, etiam forma praestans. Nesciebant inter se, quae magis amaret, quae magis amaretur. Cubabant frequenter una in domo Fernandi. Secretis petebat, quales amat Venus, insidiis Franciscam Fernandus. Se peti sciebat puella, et gratulabatur suae formae. Surrexerat impatiens libidinis surgente Aurora e lecto adolescens. Frigido aëris halitu mitigabat ignes in pergula. Tremula strepebat argutatione proximo in cubiculo sororis lectus. Patebat vero ostium: hanc amanti*

commodarat puellarum negligentiam Venus favens: intrat, nec vident libidine coecae, libidine ebriae. Superequitabat Francisca, Enemondam impellebat ad cursum, nuda nudam. Ambiunt, dicebat Francisca, meam quotidie pudicitiam nobiliores et salaciores mentulae: pulcriorem ex iis, amica, legam ego, sed tibi. Sic volo indulgere genio tuo et meo. Dicens subagitabat acerrime. Conjicit Fernandus se in lectum nudus. Territae puellae nec fugere ausae sunt. Amplexu Franciscam ligat cursu fessam. Osculatur. Audes tu, improba, vitiare sororem meam, ait, tam sanctam, tam castam? Poenas dabis. Domus ulciscar meae injurias. Patiere furores meos, ut illa tuos. Frater mi, frater mi, respondit Enemonda, ignosce amantibus: noli nos traduci ludibrio. Nemo sciet, inquit: faveat haec mihi cunno, favebo ego utrique lingua. At multo etiam fortius ac vividius est colloquium Octaviae cum Tullia tribade in ipso opere sertum p. 23—25. Tullia. *Nec refuge amabo. Aperi femora.* Octavia. *En, totam me jam occupas. Os ore premis, pectus pectore, uterum utero: amplectar etiam te, cum me amplecteris.* Tullia. *Tolle altius crura; superinjice femoribus meis femora. Artifex tibi sum ego Veneris novae, quae nova es. Quam excellenter pares! non ita egregie possim imperare, ut tu obsequeris.*

Octavia. *Ah, ah, Tullia mea, hera mea, domina mea, ut me pulsas! ut te agitas! Velim exstinctos cereos illos. Pudet lucem testem habere patientiae meae.* Tullia. *Age intente quod agis. Ut ego adsilio, tu subsili: exagita crissantes nates, ut agito, et in aëra mitte, ut poteris altius. Times te anima deficiat?* Octavia. *Sane me rapidis his fatigas concussionibus. Opprimis me. Vim tam efferatam ab alia paterer?* Tullia. *Tene, amplectere, Octavia, excipe. En, en fluit, furit pectus, ah, ah!* Octavia. *Hortus mihi tuus hortum meum incendit. Abscede.* Tullia. *Agedum, dea mea, tibi ego vir fui, mea sponsa, mea conjux.* Octavia. *O utinam mihi vir esses! quam amantem haberes uxorem! quam amatum haberem virum! Enimvero etiam tu hortum meum imbre proluisti, quo me sentio perfusam. Quam ignominiam depluisti in me, Tullia!* Tullia. *Nempe perfeci opus, et Venereum virus ex coeca navis meae sentina projecit in cymbam virgineam tuam amor coeco impetu.*

Fessanarum tribadum mentionem facit Leo Africanus in Descriptione Africae p. 336. exemplaris Elzeviriani anno 1632 excusi: *verum qui sanioris sunt judicii, mulieres has* (fatidicas) *Sahacat, quod Latinis fricatrices sonat, appellant, quod illis damnanda sit consuetu-*

do, Venerem inter se ipsas exercere, quod honestiori vocabulo exprimere non possum. Si quando contingat, ut formosae quaedam mulieres illas adeant, veneficae harum amore non secus atque adolescentes puellarum accenduntur, et in daemonis specie rogant, ut concubitum pro mercede patiantur. Hoc modo saepenumero fit, ut, dum se daemoniorum dictis paruisse putant, rem cum veneficis habuerunt. Neque desunt, quae ejus rei voluptate allectae veneficarum consortium ambiant, et morbum fingentes unam earum ad se vocent, vel miserum eo mittant maritum: quae ubi rem intellexerint, mulierem a daemone quodam vexatam affirmant, eamque ob causam nullo modo liberari posse, nisi se illarum adjunxerit numero.

Num ad hodiernum usque diem tribades supersint, quaeris. Nisi supersunt, certe superfuerunt Parisiis proxime ante conversionem rerum, si credere par est auctori Gynaeologiae III, 428. Collegium ibi justum tribadum, Vestalium nomine adscito: certi conventus certis locis: sodales haud paucae et summi ordinis: certae leges, quibus in fidem reciperentur novae: tres gradus desiderantium, postulantium, initiatarum: difficilis per triduum perseverantiae tentatio, priusquam fieret interioris admissionis postulans, cubiculo clausa, ab

lascivissimis imaginibus Priapisque mentulatissimis illecebrosissime instructo, ignem alere jussa, nescio qua arte ita comparatum, ut materie aut parum aut nimis injecta pariter exstingueretur: in quatuor aris templi, Sapphus, Lesbidum amatarum, Eonis equitis, cui sexum tam diu dissimulare contigerat, statuis lautaque supellectili splendide adornati, ignis perpetuo ardens. Nec Anglicanas feminas plane abhorrere a re tribadica, idem auctor est III, 394. Londini enim refert exstitisse non procul a fine saeculi superioris collegia quaedam, etsi parva, tribadum, Alexandrina dicta.

Haec quidem de tribadibus proprie sic dictis sufficiant. Sed nomen tribadum latius patet. Nam tribades etiam eae dicuntur feminae, quae vera mentula defectae aut digito aut pene scorteo vulvae immisso libidinem titillationis aliqua specie fallunt. Ac de digitorum quidem abusu isto magnis memini Germaniam nuper querelis personare, quae ut solet conticuerunt tandem. Penem autem ex corio [c] confectum, quem ὄλισβον dixerunt, olim ante alias ferunt in deliciis fuisse Milesiis mulieribus. Aristophanes in Lysistrata v. 108 — 110.

---

c. Alium usum penis scortei supra capite secundo adnotavimus.

Ἐξ ȣ γὰρ ἡμᾶς προὔδοσαν Μιλήσιοι
ȣκ εἶδον ȣδ᾽ ὄλισβον ὀκτωδάκτυλον,
ὃς ἦν ἂν ἡμῖν σκυτίνη ᾽πικȣρία.

Suidas sub ὄλισβος· αἰδοῖον δερμάτινον, ᾧ ἐχρῶντο αἱ Μιλήσιαι γυναῖκες, ὡς τριβάδες καὶ αἰσχρȣργοί. Ἐχρῶντο δὲ αὐτοῖς καὶ αἱ χῆραι γυναῖκες. Idem sub μισητή· καὶ ὁ Κρατῖνός πȣ τȣ̃το ἔφη· μισηταὶ δὲ γυναῖκες ὀλίσβοισι χρήσονται; quem locum etiam profert Hesychius. Num hodieque sit, rogas, ut confugiant spretae formae injuriam passae ad scorteum auxilium. Responsum feras ab Aloisiae simplicitate p. 31. *Milesiacae compingebant sibi e corio veretra octo digitos* (transversos) *longa et pro modo crassa. Aristophanes auctor est, his uti solitas feminas sui aevi. Ac hodie quoque Italis Hispanisque maxime, sicut et Asiaticis mulieribus, id instrumentum mundi muliebris et pretiosioris supellectilis praecipua pars est: magno in pretio habetur.*

Cum matronas Romanas [d] constet in deliciis habuisse genus quoddam draconum inno-

---

d. Sed erat id genus draconum etiam in oblectamentis virorum: Suetonius in Tiberio c. 72. *erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus cum consumtum a formicis invenisset, monitus est, ut vim multitudinis caveret.* Rem tangit Plinius Hist. nat. XXIX, 4. *anguis Aesculapius Epidauro Ro-*

xium, quibus, ut gelidissimae naturae, aestivis mensibus se refrigerarent: Martialis VII, 86. *si gelidum collo nectit Gracilla draconem.* Lucianus in Alexandro p. 259 tomi IV Operum: *ἐνταῦθα ἰδόντες δράκοντας παμμεγέθεις, ἡμέρους πάνυ καὶ τιθασσοὺς, ὡς καὶ ὑπὸ γυναικῶν τρέφεσθαι, καὶ παιδίοις συγκαθεύδειν, καὶ πατουμένους ἀνέχεσθαι, καὶ θλιβομένους μὴ ἀγανακτεῖν, καὶ γάλα πίνειν ἀπὸ θηλῆς κατὰ ταῦτα τοῖς βρέφεσι·* haud sane improbabilis videtur conjectura elegantissimi Boettigeri nostri in Sabina, multae et reconditioris doctrinae libello Germanice scripto, p. 454. proposita, fuisse hos dracones libidinantibus feminis anguineo etiam auxilio. Tum penitus intelliges, quid acciderit, certe accidere potuerit, Atiae, Augusti matri, de qua Suetonius in Augusto cap. 94. *in Asclepiadis Mendetis θεολογουμένων libris lego, Atiam cum ad solenne Apollinis sacrum*

---

mam advectus est, vulgoque pascitur et in domibus. Seneca quoque de ira II, 31. commemorat *repentes inter pocula sinusque innoxio lapsu dracones.* Non parvos fuisse, apparet ex Philostrato in Heroicis VIII, 1. *εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ χειροήθη δράκοντα πεντάπηχυν τὸ μῆκος, ὃν ξυμπίνειν τε καὶ ξυνεῖναι τῷ Αἴαντι, καὶ ὁδῶν ἡγεῖσθαι, καὶ ξυνομαρτεῖν, οἷον κύνα.* Tales dracones multos nasci apud Pellam in Macedonia, auctor est Lucianus loco citato: *πολλοὶ δὲ γίνονται τοιοῦτοι παρ' αὐτοῖς.* Nec hodie desunt in Italia, Lipsio ad Senecam teste.

media nocte venisset, dum ceterae matronae dormirent, obdormisse, draconemque repente irrepsisse ad eam, paulloque post egressum, illamque expergefactam quasi a concubitu mariti purificasse se. Nam quid mirum, hujusmodi draconem, licet injussu Atiae, locos ex aliarum consuetudine sibi notos investigasse, atque expergefactae eundem fere sensum reliquisse, ac si justum coitum passa fuisset?

Caput VII.

DE COITU CUM BRUTIS.

Et quoniam ad hoc ventum est, non ab re fuerit subtexere quaedam de intemperantia eorum, qui cum brutis coiverunt. In Aegypto constat Mendesios, [e] *hircum* divino cultu pro-

e. Plutarchus de brutis ratione utentibus p. 989 tomi II. Operum: ὁ *Μενδήσιος ἐν Αἰγύπτῳ τράγος λέγεται πολλαῖς καὶ καλαῖς συνειργνυμένος γυναιξὶν ὐκ εἶναι μίγνυσθαι πρόθυμος, ἀλλὰ πρὸς τὰς αἶγας ἐπτόηται μᾶλλον.*

sequi solitos, sacra illi ita peregisse, ut feminas palam, etsi invito, substernerent. Herodotus II, 46. *ἐγένετο δ' ἐν τῷ νομῷ τούτῳ* (*Μενδησίῳ*) *ἐπ' ἐμεῦ τοῦτο τὸ τέρας· γυναικὶ τράγος ἐμίσγετο ἀναφανδόν.* Strabo XVII, 802. *Μένδης, ὅπου τὸν Πᾶνα τιμῶσι, καὶ ζῶον τράγον· οἱ τράγοι ἐνταῦθα γυναιξὶ μίγνυνται.* [f] Rem non incognitam fuisse Hebraeis, discimus ex lege Mosis Levit. XX, 15. 16. *qui cum jumento et pecore coierit, morte morietur: pecus quoque occidite. Mulier quae succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo.* An Juvenali putas unquam in mentem venisse, ut caneret VI, 332. 33. *mora nulla per ipsam, quo minus imposito clunem submittat asello,* nisi interdum evenisset, ut *asinos* paterentur feminae? an Apulejo, ut Lucii, Fotidis errore in asinum transformati, coitum cum matrona tam copiose quam festive describeret? Metamorph. libro X. p. 249. *sed angebar plane non exili metu reputans, quemadmodum tantis tamque magnis cruribus possem delicatam matronam inscendere, vel tam lucida tamque tenera et lacte ac melle confecta membra duris ungulis complecti, labiasque modicas ambrosio rore purpurantes tam amplo ore tam-*

---

f. Si Venetto fides II, 4, 8. nihil frequentius fit in Aegypto ad hodiernum usque diem, quam ut puellae coëant cum hircis.

que enormi et saxeis dentibus deformis saviari; novissime quo pacto quanquam ex unguiculis perpruriscens mulier tam vastum genitale susciperet. Molles interdum voculas, et assidua savia, et dulces gannitus commorsicantibus oculis iterabat illa. Et in summa, teneo te, inquit, teneo meum palumbulum, meum passerem. Et cum dicto vacuas fuisse cogitationes meas ineptumque monstrat metum: arctissime namque complexatum me totum prorsus, sed totum, recepit. Illa vero, quotiens ei parcens nates recellebam, accedens totiens nisu rabido et spinam prehendens meam appliciore nexu inhaerebat, ut, Hercules, etiam deesse mihi aliquid ad supplendam ejus libidinem crederem. Tusca puella *canem* experta est tempore Pii V, pontificis Romani, narrante Venetto II, 4, 3. et Parisiis anno 1601 mense Octobri, adnotante Elmenhorstio ad Apuleji loqum modo laudatum p. 297. *inventa mulier, quae cum cane rem habuerat: ideoque leges citavere, ut vindicarentur, exque communi sententia senatus mulier adultera canisque maritus vivi comburio periere.* Quid? quod *crocodilum* etiam subire ausa est femina, si credere fas est Plutarcho de solertia animalium p. 976. tomi secundi Operum: *ἔναγχος δὲ Φιλῖνος ὁ βέλτιςος ἥκων πεπλανημένος ἐν Αἰγύπτῳ παρ' ἡμῖν διηγεῖτο γραῦν ἰδεῖν ἐν Ἀνταίȣ πόλει κροκοδείλῳ συγκαθ-*

εὕδουσαν ἐπὶ σκίμποδος εὖ μάλα κοσμίως παρεκτεταμένῳ.

Nec viri spreverunt brutos cunnos. Imaginem viri *capram* ineuntis praebet tabula III. in *Monumens du culte secret d. d. R.* quanquam ab interprete locus alienus ex Virgilio Bucol. III, 8. non debebat afferri: *novimus et qui te* (paedicaverit,) *transversa tuentibus hircis.* Et nostris regionibus praeter capras *oves* etiam, *vaccas*, *equasque* nonnunquam et pastoribus placuisse et aliis infimae fortunae hominibus, acta forensia loquuntur.

Caput VIII.

DE SPINTRIIS.

In his libidinum generibus, quae adhuc explicavimus, plerumque duo secum rem habebant. Fit autem, ut rem etiam secum habeant plus duo, aut tres, aut plures, quod Tiberio auctore spintriarum genus dicimus. Suetonius in Tiberio c. 43. *secessu vero Capreensi etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum, in quam undique conquisiti puellarum et exoletorum greges, monstrosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi, invicem incestarent se coram ipso, ut adspectu deficientes libidines excitaret.* Sellaria quidem vi originis haud dubie fuit locus sellis instructus. Qui sese mutuo in his sellis constuprabant, sellarii dicti a loco, spintriae a nexu: nam Festo teste pag. 443. spinter est *armillae genus, quo mulieres utebantur brachio summo sinistro*; voce, ut videtur, corrupta ex sphincter, Graece σφιγκτήρ, a σφίγγω constringo, quasi dicas brachii vinculum. Tacitus Annalibus VI, 1. *tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt, sellariorum et spintriarum, ex foeditate loci*

ac multiplici patientia. Spintriae igitur sunt, qui velut annuli spinteris inter se cohaerentes Veneri vacant. Possunt ita cohaerere duplici serie tres, ut medius sit fututor vel paedico, ante puella vel pathicus, pone paedico. Tali catena tenebantur illi apud Ausonium epigrammate 119.[g]

Tres uno in lecto: stuprum duo perpetiuntur,
Et duo committunt. Quattuor esse reor.
Falleris. Extremis da singula crimina, et illum
Bis numeres medium, qui facit et patitur.

Vis tu spectare medium futuentem? praebet tabula XL in *Monumens de la vie pr. d. d. Césars:* medium paedicantem? ostendit tabula XXVII.

Neque vero opus est, ut medius aut futuat, aut paedicet. Is enim potest etiam ita inter admissarios distribui, ut a postica parte draucum patiatur, ab antica aut irrumet, aut fellet, aut lingat. Haec omnia tentavit et nove variavit Hostius ille, miri in lasciviendo ingenii, ut exemplar apud posteros habeatur, in quem Seneca paene vehementius quam pro philosophi moderatione et aequitate invehitur

g. In Latinum convertit Ausonius epigramma Graecum Stratonis, quod legitur in Analectis Brunkii II, 380.

Nat. Quaest. I, 16. ita tamen, ut nescio quid tacitae voluptatis ipsum pectus virtutis rigidi satellitis permulcere videatur: *Hoc loco*, inquit, *volo tibi narrare fabellam, ut intelligas, quam nullum instrumentum irritandae voluptatis libido contemnat, et ingeniosa sit ad incitandum furorem suum. Hostius quidam fuit obscenitatis usque in scenam productae. Hunc divitem avarum, sestertii millies servum, divus Augustus indignum vindicta judicavit, cum a servis occisus esset, et tamen non pronuntiavit jure caesum videri. Non erat ille tantummodo ab uno sexu impurus, sed tam virorum, quam feminarum avidus fuit. Fecitque specula ejus notae, cujus modo retuli, imagines longe majores reddentia, in quibus digitus brachii mensuram et longitudine et crassitudine excederet. Haec autem ita disponebat, ut cum virum ipse pateretur, aversus omnes admissarii sui motus in speculo videret, ac deinde falsa magnitudine ipsius membri tanquam vera gauderet. In omnibus quidem agebat ille dilectum et aperta mensura legebat viros, sed nihilominus mendaciis quoque insatiabile malum delectabat. I nunc, et dic, speculum munditiarum causa repertum. Foeda dictu sunt, quae portentum illud lacerandum ore suo dixerit feceritque, cum illi specula ab omni parte opponerentur, ut ipse flagitiorum suorum spectator esset, et quae*

secreta quoque conscientia premuntur, et quae accusatus quisque fecisse se negat, non in os tantum, sed in oculos suos ingereret. At, Hercules, scelera conspectum suum reformidant. In perditis quoque, et ad omne dedecus expositis, tenerrima est oculorum verecundia. Ille autem, quasi parum esset, inaudita et incognita pati, oculos suos ad illa advocavit, nec quantum peccabat videre contentus, specula sibi, per quae flagitia sua divideret disponeretque, circumdedit. Et quia non tam diligenter intueri poterat, cum compressus erat, et caput merserat, inguinibusque alienis obhaeserat, opus sibi suum per imagines offerebat. Speculabatur illam libidinem oris sui, spectabat sibi admissos pariter in omnia viros. Nonnunquam inter marem et feminam distributus, et toto corpore patientiae expositus, spectabat nefanda. Quidnam homo impurus reliquit, quod in tenebris faceret? Non pertimuit diem, sed ipsos concubitus portentosos sibi ipse ostendit, sibi ipse approbavit. Quid? non putas, eo ipso habitu voluisse pingi? Est aliqua etiam prostitutis modestia, et illa corpora, publico objecta ludibrio, aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt: adeo quodammodo lupanar quoque verecundum est. At illud monstrum obscenitatem suam spectaculum fecerat, et ea sibi ostentabat, quibus abscondendis nulla

satis alta nox est. Simul, inquit, et virum et feminam patior: nihilominus illa quoque supervacua mihi parte alioqui contumeliam majorem exerceo. Omnia membra stupris occupata sunt. Oculi quoque in partem libidinis veniant, et testes ejus exactoresque sint. Etiam ea, quae ab adspectu corporis nostri positio submovit, arte visantur, ne quis me putet nescire, quid faciam. Nihil egit natura, quod humanae libidini ministeria tam maligna dedit, quod aliorum animalium concubitus melius instruxit. Inveniam, quemadmodum morbo meo imponam et satisfaciam. Quo nequitiam meam, si ad naturae modum pecco? Id genus speculorum circumponam mihi, quod incredibilem imaginum magnitudinem reddat. Si liceret mihi, ad verum ista perducerem: quia non licet, mendacio pascar. Obscenitas mea plus quam capit videat, et patientiam suam ipsa miretur! Facinus indignum! Hic fortasse cito et antequam videret occisus est. Ad speculum suum immolandus fuit.

Tiberii imaginem singulari prorsus nec illepida ratione spintriam agentis exhibet tabula XXI in *Monumens de la vie p. d. d. C.* in qua semisupinus ita jacet imperator, ut unius puellae superimpendentis cunnum lingat, alteri penem fellandum praebeat.

Sed possunt etiam plus connecti, tres, ut longior spectetur catena. Si quis futuit puellam, cum interea et ipse et puella paedicatur, habes quatuor triplici serie connexos Tiberii apud Suetonium loco dudum adducto. Iunge alterutri extremo rursus paediconem, habebis symplegma, quo quinque quadruplici serie copulentur: Martialis XII, 43.

Sunt illic Veneris novae figurae,
Quales perditus audeat fututor,
Praestent et taceant quid exoleti,
Quo symplegmate quinque copulentur,
Qua plures teneantur a catena.

Ecce autem symplegma quinque copulatorum artificiosius variatum tabula XXXVI in *Monumens de la vie p. d. d. C.* Nero pronus puellam supinam futuere, alteramque stantem lingere, ipse paedicari, stans illa pati quoque paediconem. In infinitum extendi posse talem catenam, per se intelligitur.

Figurarum Veneris enumeratio.

1. Pronus supinam pedibus protensis jacentem intra femina recipiens.
2. Pronus a supina pedibus divaricatis jacente intra femina receptus.
3. Supina alterum crus equitis intra femina recipiens.
* 4. Supina pedibus in lumbos equitis decussatim sublatis.
5. Supina altero pede protenso, altero in lumbos viri sublato.
6. Supina cum equite averso.
7. Supina cum equite transverso.
8. Jacens cum semisupina in latus jacente pedibus protensis.
9. Jacens cum semisupina in latus jacente, altero pede protenso, altero in lumbos viri sublato.

---

* Stellula quas signavit, en, *Εἰκοσιμήχανον* offert!

10. Semisupina cum equite averso.

11. Ingeniculans cum supina pedibus divaricatis jacente.

12. Supina pedes in lumbos ingeniculantis tollens.

13. Pes alter supinae protensus, alter in lumbos ingeniculantis sublatus.

14. Supina pedes in humeros ingeniculantis tollens.

* 15. Pes alter supinae protensus, alter in humeros ingeniculantis sublatus.

16. Pes alter supinae in lumbos, alter in humerum ingeniculantis sublatus.

17. Ingeniculans sedentem pedibus divaricatis futuens.

18. Alter pes sedentis protensus, alter in lumbos ingeniculantis fututoris sublatus.

19. Uterque pes sedentis in lumbos ingeniculantis fututoris sublatus.

20. Alter pes sedentis protensus, alter in humerum ingeniculantis fututoris sublatus.

21. Uterque pes sedentis in humeros ingeniculantis fututoris sublatus.

22. Alter pes sedentis in humerum, alter in lumbos ingeniculantis fututoris sublatus.

* 23. Ingeniculans cum aversa.

* 24. Supinus cum adversa.

* 25. Supinus cum aversa.

26. Supinus cum transversa.

27. Supinus cum sublata.

28. Sedens cum adversa.

29. Sedens cum adversa pedibus sublatis.

* 30. Sedens cum aversa.

* 31. Stans cum stante.

32. Stans cum stante, altero pede sive viri sive feminae sublato.

33. Stans cum supina pedibus divaricatis jacente.

34. Supina pedibus in lumbos stantis sublatis.

35. Supina altero pede protenso, altero in lumbos stantis sublato.

* 36. Supina pedibus in humeros stantis sublatis.

37. Supina altero pede protenso, altero in humerum stantis sublato.

38. Supina altero pede in humerum, altero in lumbos stantis sublato.

39. Stans cum semisupina in latus jacente.

40. Stans sedentem pedibus divaricatis futuens.

* 41. Stans sedentem pedibus sublatis futuens.

42. Stans sedentem altero pede protenso, altero sublato, futuens.

* 43. Stans cum sublata.

44. Pedes sublatae humeris stantis impositi.

* 45. Stans cum aversa ingeniculante.

46. Stans cum aversa conquiniscente. *

* 47. Stans cum aversa ita sublata, ut inferior pars corporis tollatur, superior jaceat.

* 48. Stans cum aversa, inferiore parte corporis artificiose sublata.

* 49. Paedicatur jacens.

* 50. Paedicatur stans.

* 51. Paedicatur ingeniculans.

* 52. Paedicatur conquiniscens.

* 53. Irrumator jacens.

54. Irrumator sedens.

55. Irrumator stans.

56. Irrumator ingeniculans.

57. Irrumator conquiniscens.

* 58. Cunnilingus jacens.

59. Cunnilingus sedens.

60. Cunnilingus stans.

* 61. Cunnilingus ingeniculans.

62. Cunnilingus conquiniscens.

* 63. Fellatrix cum cunnilingo.

64. Masturbator.

* 65. Manus officiosa.

* 66. Manus officiosa tertiae.

67. Auxilium digiti.

68. Auxilium scorteum.

69. Coitus cum quadrupede mare.

70. Coitus cum quadrupede femina.

71. Tribas futuens.

72. Tribas paedicans.

* 73. Spintriae tres: fututor paedicatur.

* 74. Spintriae tres: paedico paedicatur.

75. Spintriae tres: fellator paedicatur.

76. Spintriae tres: fellator futuit.

77. Spintriae tres: fellator paedicat.

78. Spintriae tres: fellator irrumat.

79. Spintriae tres: fellatrix futuitur.

* 80. Spintriae tres: fellatrix paedicatur.

81. Spintriae tres: fellatrix lingitur.

82. Spintriae tres: cunnilingus futuit.

83. Spintriae tres: cunnilingus paedicat.

84. Spintriae tres: cunnilingus irrumat.

85. Spintriae tres: cunnilingus paedicatur.

86. Spintriae tres: cunnilinga futuitur.

87. Spintriae tres: cunnilinga paedicatur.

* 88. Spintriae quatuor duplici serie nexi.

* 89. Spintriae quatuor triplici serie nexi.

* 90. Symplegma quinque copulatorum.

Haec prima est, lector cordate, et mensa secunda.
Ut sileas, videor velle videre tuum.
Cernere vis patrantes. Εἰκοσιμήχανον *offert.*
Bibliopola dabit. Virgo pudica fuge.

Series epigrammatum Hermaphroditi Veneta cum nostra collata.

Epigramma	Venetum	I.	est	nostrum	I, 1.
—	—	II.	—	—	II, 33.
—	—	III.	—	—	II, 1.
—	—	IV.	—	—	II, 22.
—	—	V.	—	—	I, 30.
—	—	VI.	—	—	I, 31.
—	—	VII.	—	—	I, 27.
—	—	VIII.	—	—	I, 41.
—	—	IX.	—	—	II, 14.
—	—	X.	—	—	II, 5.
—	—	XI.	—	—	II, 34.
—	—	XII.	—	—	II, 23.
—	—	XIII.	—	—	II, 25.
—	—	XIV.	—	—	II, 26.
—	—	XV.	—	—	II, 31.
—	—	XVI.	—	—	I, 10.

Epigramma	Venetum	XVII.	est	nostrum	I, 11.
—	—	XVIII.	—	—	II, 27.
—	—	XIX.	—	—	II, 15.
—	—	XX.	—	—	I, 23.
—	—	XXI.	—	—	II, 16.
—	—	XXII.	—	—	I, 24.
—	—	XXIII.	—	—	II, 28.
—	—	XXIV.	—	—	Append. 7.
—	—	XXV.	—	—	I, 21.
—	—	XXVI.	—	—	I, 22.
—	—	XXVII.	—	—	I, 32.
—	—	XXVIII.	—	—	I, 37.
—	—	XXIX.	—	—	II, 32.
—	—	XXX.	—	—	II, 12.
—	—	XXXI.	—	—	II, 21.
—	—	XXXII.	—	—	II, 36.
—	—	XXXIII.	—	—	II, 35.
—	—	XXXIV.	—	—	Epitaphium, pag. 36.

Scriptores laudati.

RUDOLPHOPOLI,

PRODIIT EX TYPOGRAPHEO FROEBELIANO.

Corrigenda et Addenda.

Pag. 4. lin. 13. Locus Juvenalis exstat Sat. VII. v. 63.

— 12. l. 8. ab inferiore margine *cum* debebat literis obliquis exoudi.

— 40. l. 5. a. i. m. pro *Ovid. Amor. II*, 4. lege *Ovid. Amor. II*, 4, 32.

— 44. l. 10. a. i. m. pro *Priap. XXVII.* scribe *Priap. XXVI.* et mox linea 7. pro *XIX.* lege *XVIII.*

— 51. l. 4. a. i. m. *pici* illud Scioppianum, licet durissimum, minime debebat solicitari: voluit enim Scioppius exprimere nominativum absolutum Plauti in Aul. IV, 8, 1.

— 65. l. 7. a. i. m. Parisiensis editor dedit: *Si tibi jucunda est, Quinti, non potes arrigere.* Delevi *Quinti*, metro jubente et correctore doctissimo admonente.

— 80. l. 5. pro *diu enim desuevit* lege *diu est enim quod desuevit.*

ibid. l. 4. a. i. m. pro *papyracei* corrige *chartacei.*

— 97. l. 5. a. i. m. post *cirographis* adde *sive cyrographis.*

— 98. l. 8. a. i. m. lege *Propert. I*, 17, 11.

— 101. l. 8. pro E t *stomachus* lege E s t *stomachus.*

— 111. l. 13. a. i. m. pro *amicum* lege *amicam.*

— 117. l. 11. pro *Tibull. I*, 4, 54. scribe *Tibull. I*, 4, 56.

— 137. l. 11. a. i. m. pro *minale* lege *mi nate.*

— 185. l. 2. a. i. m. lege *Ovid. Amor. I*, 15, 30.

Pag. 189.	lin.	9.	lege junctim *perpauca.*
— 213.	l.	9.	a. i. m. pro *aut stantis cum adversa, aut stantis cum aversa* scribe *aut stantis vel ingeniculantis cum adversa, aut stantis vel ingeniculantis cum aversa.*
— 215.	l.	3.	a. i. m. post *sublatis* adde *jacentem.*
— 236.	l.	11.	a. i. m. pro *Encolpi* lege *Encolpii.*
— —	l.	9.	lege *Petronius c.* 138.
— —	l.	5.	pro *septimo* scribe *sexto.*
— 272.	l.	13.	pro *tomo II.* lege *tomo III.*
— 297.	l.	11. 12.	pro *Nec Glycerae maritus, si quidem illi erat, metuere debebat* emenda *Nec Glycerae marito, si quidem illi maritus, metuendum erat.*
— 355.	l.	5.	pro *VII*, 67. lege *VII*, 66.
— 371.	l.	2.	a. i. m. Pro πας' ἡμῶν, quod legitur in Plutarcho Francofurtensi anno 1620 edito, scribendum esse monuit πας' ἡμῖν doctissimus corrector. Sit felix, et sint candida fata viri!